Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de


Josua Arnd

# Demonstratio Theologica, Anti-Walenburgia, Quod Motiva Hassiaca, Pro Serenissimo Hasso Allegata Non Sufficiant In Conscientia Ad Persuadendum, Ecclesiam Romanam Deserta Evangelicorum Doctrina Esse Amplectendam Conscripta

Gustrovi[i]: Typis Scheippelianis, 1664

**http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730436217**

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730436217/phys_0001
DFG

29.V.

Lg-4170.t-3.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730436217/phys_0002
DFG

Iesuec Arndii

1) Tractat. statuum Europae

2.) Demonstratio Anti-Valentiniana

3.) Tr. de perfectione.

4) Tract. de frequenti communione.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730436217/phys_0004
DFG

# DEMONSTRATIO THEOLOGICA, ANTI-WALENBURGIA, QVOD MOTIVA HASSIACA,

PRO SERENISSIMO

## HASSO

ALLEGATA

NON SUFFICIANT IN CONSCIENTIA AD PERSVADENDUM,

## ECCLESIAM ROMANAM

DESERTA EVANGELICORUM DOCTRINA

ESSE AMPLECTENDAM

*CONSCRIPTA*

A


JOSUA ARNDIO.

Anno clɔ Iɔc LIII. M. Xbr.

GUSTROVI, Typis SCHEIPPELIANIS,
Anno M DC LXIV.

B.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730436217/phys_0005
DFG




Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730436217/phys_0006
DFG

VIRO
GENEROSO, NOBILISSIMO
STRENUISSIMOQ;
DOMINO,
DN. CHRISTIANO FRIDERICO
HANEN,
Eqviti Mechelb. Splendidissimo, &
Seren. Celf. S. à Consiliis intimis, Hæreditario in Basedovv &c.
Domino ac Fautori Suo reverenter colendo
D. D. D.

HAEC est, NOBILISSIME EQVES, virtutum Tuarum gloria judicii dexteritas, in consiliis prudentia, in sermone eloqventia, in vita probitas, in religione Fides, in moribus constantia, in victu modestia, in literis præstantia, in libris industria, in publi-

cum vigilantia, privatim comitas, in me verò singularis benevolentia, ut non potuerim qviescere, anteqvam publico aliqvo testimonio literatorum caveæ significarim, Nihil de Te dici posse laudabile, qvod non infrâ meritum Tuum longè subsidat. Qvamobrem postqvam huic meæ opellæ in gratiam Veritatis susceptæ patronum, qvimos ferè, nec adeò male obtinet, cœperam circumspicere atq; eligere, fulgor Tuorum radiorum ita me illicò tetigit, ut nullium alium præferendum esse existimarem, hisce præsertim in oris, à qvo lucem & gratiam Lectoris fœnerari qvam à Nobilissimo HANIO qveat. Eqvidem, GENEROSE DOMINE, novi & probè novi, librorum satis esse, nervorum parum; Nec urit me illud cacoëthes, qvi vanis seculi retrimentis indies magis magisq; mori disco; adeoq; sanè ideò non scribo, ut scripsisse videar, sed ut profuisse. Adversarii Romanenses

ses ex feraciſſimo penu ingenior um ſuorum non in annos, ſed dies fere ſingulos depromunt rec ens telum novæ machinæ qvod ad ruinoſi ſui Capitolii tutelam mox acriter in nos explodunt. Qvid faciamus? Regnum Dei etſi non conſtat verbis, ſed virtute, tamen cum ſolis Verbis hoſtium oppugnatur, virtute verbi defendi, opinor, debet, ne viciſſe glorientur inter ſuos, qvi clamore potius ſolent oppugnare, qvàm robore veritatis alienos. Profectò Motiva noſtra Haſſiaca edita ante decem & amplius annos à Walenburgiis magno volumine ſe jactant, ſed ubi paginas excuſſeris, & ſinum veri attentaveris vel molli manu, ſtatim occinas illud vetus: Nihil jam dictum, qvod non dictum ſit prius. Repetere autem toties velle dicta ex adverſo, qvid aliud foret, qv am jugi voce ſilvam impellere, & mundū implere libris unâ pagina contentis? Soleo itaq; mecum rationes putare

&

& colligere, in scribendi operis hodiè contrà adversarios id unicum superesse cum fructu agendum, ut brevi & presso ictu, si qvid ejaculentur, retundamus, non qvod nova novis indigeant, (vetera qvippe sunt omnia) sed qvoniam veritas deseri non debet, & jactantiæ inani nihil indulgeri. Hoc igitur volui cum argumentum istud Hassiacum stylo Colonienſi exornatum ad in eudem revocavi jam ante decem annos & circiter, in ipso calore Lectionis tùm temporis versatus. Ejus scriptiunculæ adeò me in publico jam munere constitutum non pudet, ut potius in lucem mittend .m judicarim, inventuram fortè lo um, in qvo pedem figat & aram D o collocet. Oro itaq; reverenter, ut, qvâ soles mea, fronte sereu a legere hanc ipsam digneris, meq; favore Tuo porrò proseqvi pergas, qvi Deum O. M. supplex venerari non intermitto, uti familiam vestram antiqvissimam floren-

rentissimamq;, ejusq; Te,
CHRISTIANE FRIDERICE,
ut & totius patriæ nostræ ornamentum in seros usq; annos conservet omniq; felicitatis voto abundare permittat. Dabam GÜSTROVI ANNO clɔ Iɔc LXIV. Mens. Jul. a. d. XXII.

Gen. Nobil. S.

Cultor in Domino

JOSUA ARNDIUS.

MOTIVA

# MOTIVA WALEMB.

I. Pluralitas Protestantium reddit eorum cœtus suspectos.

II. De perpetua probatione fidei per testes.

III. De pacificis vera pace destitutis.

IV. De appropinqvatione Protest. ad Romanos.

# OPPOSITA ORTHODOXA.

I. Pluralitas errorum reddit Papatum invisum.

II. De perpetua piorum de eo qverela.

III. De Catholicismo veritate destituto.

IV. De consensu Catholicæ Doctrinæ cum Protestantibus.

I. N. D.

I. N. D.

# CANDIDE LECTOR,

NE aut partium ſtudium, aut perſonarum ſplendor, aut ſcribentium ſubtilitas, aut tale qvidpiam transverſum Te rapiat, affectumve aut judicium, qvod fieri vulgo ſolet, corrumpat ſtatim, pauca initiò monendus videris. Et qvidem ante omnia indolem ſcripti, qvod præ manibus eſt, mox Rerum, qvas continet, pretium, ac deniq; Eorum, qvæ contrâ attulimus, momenta utinaturamq; conſideres, ſvadeo ac hortor cum primis, imò per Sanctam Eccleſiam Catholicam, cujus membra omnes eſſe aut gloriamur vanè, aut optamus piè, aut credimus miſerè, etiam atq; etiam obteſtor. Vetus & blandus eoq; non intellectus ſemper morbus fuit, etiam in rebus ſacris ac divinis, miniſtris tantæ molis alligatum ſe profiteri, ac delibata materiarum ſuper ficie, protinus conſpecto aut illuſtri Titulo, aut celebri nomine victoriam

riam cantare, nec qvidqvam minus in divinis istis attendere, qvàm veritatem. Cujus rei non eqvidem causa semper est malitia, sed & consvetudo qvoq; & tarda ingenii simplicitas, qvâ qvis intra persvasionis suæ, famæ plerumq; mendacis fines consistens, vel qvod semper credidit, opinatur porrò, vel qvod a multis prædicari sentit, laudat una. Qvamobrem vos, qvotqvot aut qvicunq; hæc mea visuri lecturive estis, oro atq; obsecro, neqvid aut vanum, aut ambitiosum, aut malignum hic expectetis metuatisve, sed qvantum ab homine, qvi libera hucusq; vitæ conditione utens tàm odij qvàm amoris causas procul habet, proficisci potest virtutis, moderationis ac veritatis polliceamini vobis securè. Neq; enim aut vos à me falsos, aut me opinione meâ deceptum conqveremini in fine meritò.

I. Vivunt hodiè Coloniæ celeberrimo Germanorum opido, Fratres duo De Walemburg, Adrianus & Petrus, viri non ignobiles, seu nomen spectes seu eruditionem. Hi superioribus annis scriptis aliqvot editis subtiliorem, qvàm vulgò solent Romanenses, & placidiorem paulò, si prima specie videas, cum Lutheranis agendi disputandiq; viam inverunt, qvà & eos, qvos à Romanâ Ecclesia

ab

ab errare credunt, facilius ad rede undum ad priſcos mores invitari poſſe exiſtimarunt, & ſibi opinionem inde modeſtiæ ac elegantiæ, à qvibus cæteri fere ex iſto grege abeſſe qvàm longiſſimè ſolent, conciliarunt non levem. Qvæ cauſa qvoq; eſſe videtur, cur prudentiſſimus Princeps eorundem penicillo potius qvàm Capucinorum calamo cauſas diſceſſus ſui pingi ac exornari voluerit, qvo grata illorum in ſcribendo modeſtia vulgo credita & invitaret Lectorem non Romanum, & Principalem altitudinem à ſordidis humilium ingeniorum convitiis removeret longè. Atq; ita Qvatuor Motiva, qvæ Latinè loqventes Cauſſas nominamus, ex ingenio Sereniſſ. Ducis concinnarunt, qvibus reliqvos qvoq; Germanorum Principes, Nobiles ac Cives omnes, qvotqvot hactenus à Rom. Eccleſia, qvalis nunc extat, ſeparati vivunt, permoveri poſſe ac debere arbitrantur, ut eandem cum tanto Heroë viam ingrediantur, qvâ Capitolium ſcandit cum tacita virgine Pontifex. Idq; hac methodo: 1. Ut pluralitatem Proteſtantium cœtus ſuſpectos reddere oſtenderent. 2. Ut teſtimonium Eccleſiæ Romanæ neceſſarium eſſe modo ac ratione illa, qvâ articulos Fidei vulgò metimur docerent. 3. Ut Pacem in iri nullo pacto cum illis poſſe

posse ex qvorundam inter Lutheranos viventium invento. 4. Et Posse tandem ex suis Principiis indicarent, Si Lutherani ad dogmata Romæ ejurata redirent idq; pedetentim eosdem facere comprobarent.

II. Hoc igitur nunc hac indole præstiterunt, ut simpliciorem optassemus merito. Non ibi ulla mentio Testimonij Divini, qvod unicum in verbo scripto hodie habemus, qvodq; in tàm arduo negotio dominari unicè debebat, Non crimen ullum in Ecclesiam nostram aut impii aut blasphemi aut scripto Dei verbo contrarij; Non mores Christiano nomine indignos, non pervicaciæ in errore ullo doctrinam concernente argumentum præferunt, non deniq; qvidqvam horum simile commemorant, ex qvo constare Lectori Pio qveat, Lutheranos sic dictos impugnare Verbi Divini Auctoritatem, Negare Ecclesiæ universalis testificationem, deserere Communionem fidelium, Docere blasphema & profana, seducere inanibus vocum tintinnabulis innocentes animas, aut retia tendere excelsis regentium ingeniis. Horum nihil usqvam in toto illo Motivorum, qvæ vocant, Systemate apparet, aut extat, aut movetur digito. Sed contrà, differendo disputandoq; secun-

secundum humanas meditationes ex norma reipubl. alicujus Venetæ aut Romanæ, non allegato ullo auctore aut Teste compilantur varia, & ex illis mox inferuntur placentia, & qvicqvid ingenio occurrebat, qvod aut doctrinam sapere aut argutiam videbatur.

III. In Motivo, qvod vocant, Primo, Nominant pluralitatem Protestantium. Qva fide aut qvâ conscientia haud scio, nec facile definivero. Profecto, qvinam in Romano Imperio Protestantes hactenus sint & habeantur, nôrunt omnes. Illi autem sociant Catonem cum Sylla, Christum cum Beliale; conjungunt Lutheranos cum Calvinianis Arminianis & cæteris Sectis. Qvæ qvidem haud exigua Ecclesiæ nostræ illata injuria mussitari non debet. Objecit nobis olim Cutsemius & Forerus, Huberum, Flacium, Majorem Philippum, Hoffmannum, Osiandrum, Dnn. Fratres addunt Hodie, Recens hominum Genus, Pacificos, Henotas. Hos omnes adjungunt Calvinianis, Arminianis &c. Et appellant cœtus, ut ostendant, Unam Ecclesiam penes nos non esse. Et tamen Hæreses & Sectæ in Ecclesia Corinthiaca erant, & semper in Vera Ecclesia sint, necesse est. Si qvâ sunt Inter Nos, qvi à nobis infundamento discre-

discrepant, Egrediuntur qvidem Ex nobis, sed non sunt De nobis. Atq; hoc jam illud Petrosum Motivum est, cui superstruitur causa deficiendi à Lutheranis, ad Romanos. Qvis non videt, Arenosum fundamentum? Qvid si dicerem, Non hæresium pluralitatem reddere veram Ecclesiam deteriorem, sedin malo unitatem?

IV. In Motivo Secundo, regnat Pervicitas præcipuè. Nam & argutantur strenuè & Ludunt in re tantâ satis Pestilenter. Lutherani non negant, Testibus fidendum esse. Qvis Ecclesiæ Catholicæ testimonium, qvod ex parte Divinum agnoscimus, de Deo & Verbo ejus rejiceret? Qvis abominatus est Consensum Catholicæ Ecclesiæ? Non credam, Malum in consideratum, superbiam hæc dictâsse. Si qvid ingenij fuit aut est in Dnn. Fratribus, ostendant, Romanos esse Catholicam Ecclesiam, Testimonium Ecclesiæ præjudicium facere Scripturæ Testimonio interno, successionem loci præferendam esse Successioni doctrinæ, Apostolos & Ecclesiam Testaride Christo sine verbo, eo; Scripto; Romanos testari ex verbo, & ierebuntur laudem solidam. Hæc tantum væritur in

musi-

mustaceo. Non suspicabor, Viros tantos ex ignorantia impingere veri status Controversi, qvod tamen non absurdè videatur.

V. In Motivo Tertio, Desidero Candorem. Nam qvo jure possunt nostris Ecclesiis imputare, qvod Tota rejicit? Sit unus, qvi Henota est, qvi Pacem sine Pace qværit. Ecclesia Lutherana hactenus contradixit & restitit. Vult pacem, sed Christi, sed non simulatam, Et cujus erat Erasmus? Romæ. Cassander? Romæ. Wicelius? Romæ. Et tamen ab his emanavit ista insania. Si vos eos non agnoscitis, cur nobis ejus pullos obtruditis? Qvæ causa est, Cur illud Motivum sicco pede in Disqvisitione hâc mea transilire constitui, ne litem, qvæ Ecclesiæ non est, meam facerem.

VI. Exulat Motivo Qvarto Omnis Rectitudo Et Veritas. Pugnat cum totius Ecclesiæ nostræ Praxi, Confessione & Testimoniis. Dissimulantur Controversa, proponuntur concessa, flectuntur argumenta, torqventur κρινόμενα, involvuntur Responsiones & sic deinceps. Ut omninò cauto opus sit in Lectione ejus. Miscentur enim aliena nostris, nostra alienis, Cælum terræ.

Postre-

Postremô, ubi rectè attendas, deprehendas illos potius ad Nos, qvàm Nos ad illos appropinqvare. De qvo suo loco.

VII. Ut itaq; cum hisce hominibus eo cautiùs ageremus, rem totam Duobus Argumentis, Membris Tribus, Sectionibus Duabus in clusimus hac fini: Ut Pigmenta & Colores dilueremus, Verum Controversiæ statum evolveremus, Fundamenta contraria destrueremus & veritati litaremus in universum. Qvod facimus, 1. κατ' ἄνθρωπον 2. θείως καὶ καλὰγραφάς. DEUS Veri assertor adsit: Fiat

SECTIO

# SECTIO PRIMA.

## ARGUMENTUM PRIMUM,

κατ' ἄνθρωπον.

*Quæcunq; Causæ vel Motiva ad aliqvid persvadendum in negotio Religionis sunt 1. Merè Humana. 2. Perversa. 3. Fallacia, adeoq; vana & inania, ea non possunt à Spiritu Sancto in animo hominis veritatem amantis accensa agitataq; censeri, sed oriuntur à Prudentia Carnis, qvæ est hostis & inimica DEI.*

*Atqvi hæc Motiva Hasfiaca sunt talia. Ergò non possunt à Spiritu Sancto orta censeri, sed à prudentia Carnis & impulsu cæco.*

§. 1. Majorem haud facile, qvi sanæ mentis est, homo impugnabit negabitq;. Est enim in aperta luce constituta, & radiat manifestò. Qvicqvid enim ex carne oritur, caro est. Qvicqvid perversum, malum est. Malum autem à malo est profectum & fluit inde semper. Fallere vero, scelus est. Scelesta

autem sunt impia. Impietas nulla est à Spiritu Sancto. Jam qvicqvid tale est, vanum qvoq; est. Omne autem Vanum, inane est. Qvomodo enim vanitas possit aliqvid in animo solido efficere bonum.

§. 2. Minorem membratim dilucidaturi sumus, effecturi, ne qvid præter Verum loqvi argui qveamus. Nec enim in re tanti momenti mentiri aut vana sectari, excusationem ullam meretur natura sua.

# MEMBRUM PRIMUM.

§. 1. *Sunt Merè Humana.* Nam Pluralitas sola, Dissensio sola Per se est res humani argumenti, nec probat in Ecclesiæ detrimentum vel tantillum. Non procedit argumentatio hæc: *Qvæcumq; Ecclesia pluralitatem complectitur sententium diversa, Ea est de Veritate ipsa tota suspecta merito suo, ac mox falsa & hæretica.* Sub sumo statim: Ecclesia Catholica semper Complexa fuit, & complectitur impræsens. Ergo est suspecta, falsa, hæretica. Qvis ita inferentem feret? Cui non siccum jecur ardeat ira? Ergo Ecclesia Vera

Vera & Catholica nunqvam fuit, nunqvam est, nunqvam erit, in omnem seculorum seriem. Oportet enim hæreses esse, & necesse est, ut veniant scandala. Erat Cain in prima, Erat Jeroboam in adulta, Erant Samaritani, Scribæq; in Veteri; Fuit Ebion & Cerinthus & longus Ordo malignantium in prima Christiana, & novi tales qvovis pullularunt seculo in vera Ecclesia. Et qvis fuit hactenus, qvi statueret, hanc esse causam solidam deficiendi ad Turcas aut alios qvoscunq;, qvos in execrabili malo suo & Mahumetismo unitas colligat.

§. 2. Deest Præceptum Divinum; deest Promissio Verbi, deest Exemplum, qvo Deus juberet, Veram Ecclesiam à falsa discerni notâ solius Pluralitatis. 1. Cor. 11. 19. Matth. 18. De qvo *Sect. 2. Arg. 2.* Non potest igitur sola pluralitas sufficiens causa esse, qvæ impellat ingenium solidum ac fundatum in Timore Domini ad deficiendum ab eo cætu in qvo pluralitatem sentientium deprehendit.

§. 3. Sed potius à Contrario ratiocinetur aliqvis: Ecclesia Christi semper hoc habuit, ut pluralitate hæreticorum redderetur obscura & suspecta. Qvare videndum est,

neqvid temerè neqvid præcipitanter in tanto negotio à me ſtatuatur. Aut qvando ullum tempus ab orbe condito fuit, qvo non obſcurârit Eccleſiam iſta Pluralitas? Via qva itur ad cælos anguſta eſt, & tamen eſt in Eccleſia. Oportet igitur & ſemitam, qva ad hanc pertingimus, non eſſe ita latam ac ſpacioſam, pro ut video illam Romanam. Obſepta illa eſt dumis & vepribus hæreſium, intermixtus eſt ager Zizanijs. Unitas ſine Deo ſuſpectiſſima eſt. Videtur ergò eſſe ibi Eccleſia & ejus Fides, ubi eſt Verbum Dei & ejus Lucerna. Hinc igitur puto liqvere, Humanum hoc eſſe merum & ab omni divinitate remotum valde. Deus, Chriſtus, Verbumq; ejus amandant ad Auditum vocis Chriſti, ad Legem & Teſtimonium, ad ſcripturas, ad Sacras Literas; Hoc Motivum, ad Conſiderationem Pluralitatis in Eccleſia, ſine qva Eccleſia nunqvam fuit.

§. 4. Tu autem, qvisqvis es, Romane, ſi tibi hæc cauſa videtur eſſe ſufficiens deficiendi à Lutheranis, qvod tamen falſum eſt, ad Romanos, qvâ conſcientia aut qvâ saltim ſcientia manes in Tua? Vides ne

ne tot schismata Pontificum tuorum? Tot veneficia? cædes ac bella? Tot dissidia cum Ecclesia Orientali? Tot dissensiones Doctorum tuorum; Audisne rixantes Monachos & Jesuitas, Dominicum & Franciscum, Thomam & Scotum? Baronium & Ascanium? Sorbonam & Lojolam? Ignatium & Scoppium? Jansenium & Lojolitas? Concilium & Papam; Papam & Episcopos? & id in infinitum. En tibi rixas & Pluralitatem opinionum, De Primatu Romæ & Ravennæ, De voluntatibus in Christo, De auctoritate Conciliorum & Papæ, De merito operum, De virgine Maria, De potestate Pontificis, De Purgatorio, De Cælibatu Sacerdotum, De servanda fide Hæreticis, De Missa, De Antichristo, & de cæteris?

§. 5. Vide Exemplum Humanæ Considerationis & desiste imitari. In Judaica Ecclesia erat Summus

mus Pontifex, erat Synedrium, Concilium, Erant Scribæ & Phariſæi viri undiqvaq; Docti, & tamen erant Samaritani, Sadducæi, Eſſæi, Herodiani ſimul iſt hic, & errabant omnes. Et tamen erat ibi qvoq; Eccleſia. Veniebat Chriſtus & errantes reducturus in viam docebat. Sed non amandabat ad Eccleſiam, ad Synagogam, ad Pontificem; ad Scripturas autem, ad Lectionem, ad Moſen & Prophetas. Cui credis? Concilione iſti? Pontifici Caiphæ? An Chriſto? Elige qvid velis! Qvid autem hæres in hiſce humanis? Miſer eſt homo, niſi ſe ſupra humana erexerit, miſerior Chriſtianus, qvi ſe patitur à voce Chriſti ſeduci. Audi vocem Paſtoris & fuge venientem Lupum! Vox eſt Jacobi, manus Eſavi.

§. 6. Eſt ergò hoc Mere Humanum 1. Qvia eſt c rnale φρόνημα. 2. Reſpicit externa. 3. Conſiderat Eccleſiam tanqvam rempubl.

publ. & Civitatem. 4. Amandat ad Templum, & revocat ab Ecclesia. 5. Descendit ad argutias ingeniorum. 6. Caret testimonio Divino. 7. Exemploq; Apostolorum:

# MOTIVUM SECUNDUM.

§. 7. *Urget κατ' ἄνθρωπον Testimonium purè Externum.* Nam etsi multa jactat de Testimonio Christi, de Apostolorum, Joannis & aliorum, tamen & pervertit, uti mox seqvetur. Primario autem & πρώτως eo fine id urget, qvem tamen incredibili argutia occultat, ut evincat, Successionem Testium esse de necessitate Ecclesiæ veræ, sed non secundum sensum Verbi qvod testimonium suppeditat Ecclesiæ, sed Romæ. Atq; inde mox cudit causam deficiendi à cætu hoc ad alium, nempè Romanum, in qvo ista successio localis reperiatur.

§. 8. Vides hic nihil de Testimonio Verbi interno, Nihil de Testimonio secundum Verbum, Nihil de Testimonio Ecclesiæ Universæ, sed Romano merè & purè & perpetuò

petuò tali. Vide paralogiſmum, *Qvæcunq; Eccleſia teſtium ſucceſſione locali gaudet, ea eſt eligenda præ cæteris, tanqvam vera; Romana hodiè eſt talis. Ergò.*

§. 9. Jam amabo Te, animadverte utramq; falſam & Majorem & Minorem! Major mere Humana eſt. Caret enim 1. Teſtimonio Verbi adeoq; Dei ipſius. Nam Deus hodiè teſtatur de ſe in Verbo ſuo. 2. Oritur à civili prudentia. 3. Nititur ordine humano & externo. 4. Confundit Locum cum Fide, Perſonam cum officio, Cathedram cum Sacerdote. 5. Adverſatur Chriſti prædictioni & Apoſtolorum hortatibus ut demonſtratum eſt infrà *Sect. 2. Argum 2. Motiv. 2. Membr. 2.*

§. 10. Eſt igitur ſimpliciter falſa & humana, qvia ſucceſſione teſtium humanâ nulla unqvam Eccleſia ſe jactavit Eccleſia vera, ſed falſa Jerem. 7. Lnc. 17. Qvia 1. Eccleſia Catholica perpetuam non habuit hanc ſucceſſionem externam. 2. Fuit enim ſæpius interrupta tam in veteri qvam novo fœdere. Qvia 3. Eccleſia Romana particularis cœtus eſt, adeoq; ab ea ad univerſalem ſtulta eſt argumentatio. 4. Qvia nec ipſa habuit hanc ſucceſſionem concatenatam. Plura in ſeqq;

5. Qvia

5. Qvia hæreticis qvoq; talis succeſſio non nunqvam contingit. 6. Qvia eſt localis & merè Humana.

§. 11. Minor itidem falſa eſt. Nam 1. Romana Eccleſia non Catholica eſt, ſed cœtus particularis. Qvod negare non poteſt, niſi qvi rerum naturam tollere volet. Nam qvomodo Roma conſtituet Terrarum orbem? Et tamen hoc toto diffuſa credi debet Catholica Chriſti Eccleſia. 2. Sæpè ſciſſam ſucceſſionem habuit, ſæpè nullam localem planè. Qvoties factum eſt, ut Duo, Tres, Nullus eſſet Pontifex? 3. Qvia non eſt Apoſtolica. Militat enim contrà praxin, hortationes, ac prædictiones Apoſtolorum. 2. Theſſ. 2. 1. Teſſ. 5. Actor. 20. & alibi. 4. Dubia eſt & inter ipſos incerta, teſte *Caranza in Summ. Concil.* 5. Habuit ſæpe hæreticos, Epicuros, Apoſtatas, Feminas, blaſphemos, teſte ipſo Baronio. 6. Fuit qvoq; non ſemel loco mota, extorris & vaga.

§. 12. Qvomodo proinde hoc Motivum ſolidum eſſe poteſt ac ſufficiens ad convellendam Conſcientiam de ſtatu ſuo, & impellendum ad electionem Romanæ Eccleſiæ, qvæ particularis eſt & ſchiſmatica, qvæ ſuc-

cessionem nec doctrinæ veræ habet, nec loci interruptam aut genuinam, imo qvæ à veteri illa secessit ac defecit plane?

§. 13. Potestne fieri, mi Romane, ut in Conscientia Tua tibi satis faciat hæc conclusio: Ego vivo in Ecclesia vera, & Apostolica, qvia vivo in cætu, qvi Successivè multos habet splendidos Episcopos & Papas regum more dominantes. Qvis dixit Tibi, Ecclesiam Christi esse alligatam ad successionem humanorũ testium? Cedò conscientiæ Tuæ testem Deum & Verbum ejus! Qvis persvasit tibi, Romam continua illa successione gaudere? Inqvire in veritatem Historicam. De tuo corio luditur. Nonne tutius firmiusq; cum Lutherano sic colligeres: Ego vivo in cætu, qvi Apostolorum scripta & Prophetarum testimonia habet pro fundamento fidei suæ & vitæ, Ergò proculdubio eandem fidẽ custodiens membrum sum unius Ecclesiæ

lesiæ illius, qvæ vera est Sponsa Christi.

§. 14. Confer hæc inter se studiosè. Ibi habes humana omnia, Locum, Successionem, Papam, Episcopos, Nihil audis de Verbo Dei, de promisso Christi, de Teste Scriptura. Et tamen ex hac salvari debes. Joh. 5. Hic vides cælestia omnia, Prophetas, Apostolos, Christum, Durationem Doctrinæ, Testes firmos & Verbo Dei nixos! Optio tua est. Vide, ne erres.

§. 15. *Dicis: Sed tamen requiritur ad tabularum fidem, ut adsint testes, qvi me doceant, credere illis, qvod veræ sint & illius, cujus esse feruntur?* Benè. Ita fas est, de Humanis, non autem de Divinis. Audi Salvianum l. 3. de Provid. Humana omnia dicta argumentis & testibus egent. Dei autem sermo ipse sibi testis est. Qvia necesse est, qvicqvid in corrupta veritas dicit, in-

incorruptum sit testimonium Veritatis. Vides? Deus est αὐτόηιος. Qvicqvid loqvitur, habet in se αὐθεντιάν. Est enim sermo Dei, qvi est Veritas ipsa.

§. 16. *Pergis. Non dubito de ea, video tamen reqviri, ut Ecclesia testetur hunc librum esse Canonicum hunc non?* Rectè. Unde hoc habet Ecclesia? Ex ipsa Scriptura. Nam inde desumit argumẽta pro Veritate Canonicorum Rom. 12. contrà Apocryhorum ἀνώμαλα.

§. 17. *Ais: Sed tamen Christus processit per Testes?* Fateor. Sed qvos? Apostolos. Qvomodo? Aperiendo illis scripturam Luc. 24. & docendo ex iis testari de Christo Actor: 10. Nemo hoc potest negare etiamsi rumpatur. Cur hæres itaq; in pice humanæ tuæ meditationis? Seqvere Testem Christum, testes Apostolos, testem juxtâ illos Ecclesiam Universam, & non errabis.

§. 18. Jnstas:

§. 18. *Instas: Sequor Ecclesiam testem.* Rectè facis. Sed sequere illam testantem de Christo, non de suo sensu. Unde eum haurio, ais? E voce Christi. Ubi illa? in verbo ejus. Verbum igitur sequere in Ecclesia. Nam sine illo nec Ecclesia est, nec unitas. Vide quot testes hujus rei habeas! Habes testem de Deo Verbum; Habes de Christo, testem Scripturam; Habes in Te, testem Conscientiam, Habes ponè Te, testem Ecclesiam. Hos sequere. Non vis mihi credere? Crede Ecclesiæ. Credo, inquis. Sed cui? Romanæ. Cur illi? Quia Catholica est. Unde hoc scis? Quia gaudet successione continua testium. Vides Humanũ Principium! Cur non dicis, Quia gaudet doctrina Apostolorum & Prophetarum. Testes illi loca occupant, fidem abjecerunt. Attende Tibi ergò, & deprehendes argutiam. Humana omnia sunt, non vincunt in conscientia. Quod vi-

Motivum

de infrà *sect. 2. Arg. 2. Motiv. 3. Membr. 3.*

# MOTIVUM TERTIUM (AL. QVARTUM.)

§. 19. *Sunt & hic merè Humana.* Argumentum Hassiacum tale est: *Qvicunq; ad Romanorum dogmata appropinqvat, is qvodammodo fatetur eos non errare, adeoq; per hibet Testimonium ejus Ecclesiæ veritatis, & fatetur ad eos esse descendendum. Lutherani faciunt illud. Ergò & hoc necesse est.*

§. 20. Appropinqvationem vocant, *Desertionem prioris doctrinæ & accessionem ad hodiernam Ecclesiæ Romanæ.* Est autem Argumentum totum κατὰ σάρκα conceptum 1. desumtum è processu civili. 2. plenum fraudis ac fallaciæ. 3. σφεβλότης. 4. Vanitatis, de qvibus *in seqq.*

§. 21. Nam primò, Major non est simpliciter verâ, sed κατά τι. Potest alter ad alterum accedere in qvibusdam, qvæ fidem

non

non evertunt aut labefactant. Et sic verum est, accedere ad Nos & Nos ad illos, 2. Accedit alter ad alterum, qvi omnia ejus tàm in fundamentum impingentia dogmata, qvàm non incurrentia qvadantenus approbat. Ita Lutherani non accedunt ad Romanos. Et provocandum est ad Confessiones & Praxin qvotidianam nostræ Ecclesiæ. Nam si qvi sunt inter Nos, qvi à nobis ad Catholicos Romanos, qvales se jactant, inclinant, eos pure rejicimus tanqvam ardeliones & proditores. Non debet unius aut paucorum perfidia toti cœtui fraudi esse, si extrà illam fuisse deprehendatur.

§. 22. Minor igitur pugnat cum aperta Veritate, Luce meridiana, & Sole ipso. Et satis liqvido manifestum est, Humane ψυχικῶς hoc pure dici, nec validum esse idcirco argumentum in conscientia posse ad persvadendum.

§. 23. Qvin potius capio vorsoriam, & qværo ex viro bono ac probo, Romano qvamvis, si qvis posset ei clarum reddere, Ex ipsis illis Romanis viros qvovis seculo magnos ad Nos accessisse, an velit id circò fieri Lutheranus? Qværo porrò, si qvis existeret,

existeret, qvi ostensum iret, Ecclesiam Romanam veram illam ac antiqvam nihil aliud docuisse, qvàm Lutherani hodiè docent velitne ideo statim ad Nos accedere? Si affirmat, Bonum Factum: Et me hercule id jam pridem à nostris factum, qvod latere neminem potest, nisi malignum & ignorantem. Si neget, & postulet Libertatem inqvirendi in rei veritatem, habeat sibi hoc loco idem responsi. Si porrò inveniat malâ fide actum à Lutherano, annon confirmaretur potius in sua religione, qvàm ut ab eâ recederet? Non est dubium. Nam suspectum est omne mendacium, imò falsum. Nunc ergò, dispiciat Lector horum Motivorum, & præsertim Tertii, (al. Qvarti) naturam, Annon actum sit ibi nobiscum inscitè & parum sincere? Annon pleraqi omnia sint distorta, in voluta picta vel præterita planè?

§. 24. Deinde hisce omnibus omissis ac sepositis considero solùm, Humanum ne sit, sic secum ratiocinari hominem de fide dubitantem & Ecclesiæ Veritate: Video in qvibusdam consentire Lutheranos cum Romanis, Ergò fiam Romanus. Qvid infirmius? qvid σαρκικώτερον; imò qvid absurdius? Vel Judæus vel Gentilis fieres hoc modo.

Pro-

Profectò, qvocunq; te vertas, Omne Humanum & à Rationis solertia profectum esse intelliges, qvicqvid hic proponitur.

§. 25. Qvamobrem est & hoc Humanum penitus. Qvia 1. Nititur principio humano plus satis. Atqvi causa, qvæ conscientiam Viri Christiani ita concutere debet, ut à cætu Lutherano deficiat ad Romanum, ea debet esse talis, ut promanet ex Principio non humano sed Divino, i. e. debet ita esse comparata, ut arguat hominem in conscientia validè ac robustè. An tale hoc Motivorum systema sit, seqventia judicabunt.

§. 26. Velim autem clausulæ loco Romanus Lector ita mecum colligat: Est Deus, inqvem peccavit omnis humanitas; Est Christus, qvi restituit omnem credentem Deo. Hoc revelatum mihi testatur Ecclesia, & ut sibi credam testanti, producit tabulas, Verbum Dei, qvod sibi ipse Deus testis loco eligit *Esa. 8.* Huic jubet credere tanqvam Principio non fallenti nec humano; Sibi, ut custodi, & Communi consensu eidem fidem adhibenti: Qvicqvid igitur hic justum præscriptumq; invenero, ist hic creditum ac susceptum unanimi voto, id seqvendum ducam, &

ut ita faciam, impellor Conscientia, qvia lego: Verba mea judicabunt à Sermone meo discedentem; qvia lego, Scrutamini scripturas, qvia ibi habetis Vitam. Contrà, Qvicqvid sensero è mea ratione, aut principiis humani ingenii oboriri in mente mea, aut colorari ab alia plausibili argutia, id excutiam omne cum pulvisculo, qvia didici, omne Humanum esse mendax.

# MEMBRUM SECUNDUM.

## SUNT PERVERSA.

§. 27. Sub nomine ac vocabulo Perversitatis complector argutiam & Sophisticationem, sive ea præmeditata sit, sive exciderit imprudentibus. Et appello, 1. Subtilem status Controversiæ inversionem. 2. Dissimulationem. 3. Factam exinde ad sensum domesticum Conclusionem. Vel enim Mutant omnia, vel invertunt, vel Prætereunt. Omne ideo, ut lector ad latera lubrica deducatur i. e. ut à Regula illa Fidei unica, qvæ est Scriptura Sacra, qvasi leni admota manu applicetur ad Considerationem Romanæ Ecclesiæ, Ponti-

Pontificis ac Conciliorum ejus, & reliqvam pompam Perſico qvovis apparatu lautiorem.

§. 28. Hinc illa axiomata & paſſim inculcatæ regulæ in hiſce Motivis; Pontifex eſt Solus interpres Scripturæ, Concilia ſunt Teſtes non errantes, Roma eſt Catholica Eccleſia, extrà qvam non eſt ſalus. Hic ſcopus eſt, hæc ſumma Totius laboris Haſſiaci. Qvod nunc ἐλεγκτικῶς ac conciſe per exempla aliqvot declarare aggredimur.

# MOTIVUM PRIMUM.

§. 29. Res controverſa eſt, Interpretatio Scripturæ petendane ſit à Concilio & Papa, an verò ex ipſa Scriptura. *Illi* prius, *Nos* poſterius defendimus, & docemus, *Legendam illam eſſe, & audiendam, & ſcrutandam in rebus ſalutem concernentibus.* Eſſe enim δυνατὴν πρὸς ζωὴν ad Vitam, eſſe judicem Chriſti vocem, eſſe lucernam, vivum ſermonem & κριτικὸν, & legenti patere facile, ſi Deum timeat, pie oret & adferat animum ſubmiſſum & humilem. Inde in ferunt Dnn. Fratres:

Ergo Lutherani doceant simul necesse est, Qvemvis Laicum rusticumq; , si velit salvari, debere determinare posse, qvinam libri Canonici sint, qvinam secus?

§. 30. Et nos hactenus, præcipuè *in Colloqvio illo celebri Ratisbonensi*, clare ac perspicuè definivimus, 1. Articulum fidei salvificæ non esse id posse aut scire, dummodo absit repugnans contumacia & negatio impia. 2. Distinximus inter Fidem Generalem & Specialem, Per illam Historicam, per hanc, Salutarem designavimus. *Vid. Protocoll. Ratisbon. p. 310. & seqq.* Qvæsi qvis reponat iniqvæ illi Fratrum argumentationi & perversæ, videbit vitium.

§. 31. Nam qvis non prima fronte mox deprehendat sic argumentantem: *Lutherani docent, Scripturam unicuiq; intimore Domini eam legenti esse perspicuam in rebus salutem operantibus: Ergò iidem docent necessariò, Qvemvis laicum debere determinare articulos fidei, & qvinam libri sint Canonici.* Negamus, Articulum fidei esse, scire Qvinam libri sint Canonici. Plus infertur, qvàm collectum est, & Major, si addatur, ἀμφιβολογία Res aperta est, & Veritas multi loqvio non indiget.

§. 32. Qvàm

§. 32. Qvàm perversum porrò id est, qvod scribunt, *Sepositò sensu Universalis Ecclesiæ ab Apostolis accepto nos docere &c.* Cum tamen nos perpetuo admittamus testimonium Ecclesiæ universalis externum, & sensum Apostolicum κατὰ τὴν ἀναλογίαν πίστεως. Perversitas autem est, *Argumentari ab universali ad Romanam particularem*, perversitas est, *à sensu Apostolico argumentari ad suppositiitiam Traditionem Romanorum.* Qvem non perstringat hæc ratio argumentorum, qvamvis κατὰ ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων docentem?

§. 33. Nos semper docuimus, Duplex Testimonium Veri sensus Scripturæ dari, *Alterum internum & Spiritus Sancti*, ex qvo & qvinam sint libri Canonici pateat satis, *Externum alterum, Ecclesiæ universalis*, qvæ sua fide & custodia idem defendat contrà hæreticos & tueatur vel ipso sangvine. Hic nihil apparet ab surdi, nihil perversi. Non vides apud nos Veritatem, mi Romane? Vide apud ipsos Tuos expressam & vel ab invitis: *Canisius Cap. de Præc. Eccles. Test 16.* Nos, ait Scripturæ propter testimonium Divini Spiritus in illa loqventis credere, & ad hærere ac tribuere maximam auctoritatem. Et *Stapletonus*

*l. 1. c. ult.*

*l. 1. c. ult.* Scripturæ Sacræ non derogatur, qvod ea testimonium accipiat ab Ecclesia, qvamvis habeat Majus testimonium à Spiritu Deo, qvo autore scripta est. *Et Alfonsus à Castro l. 1. adv. Hær. c. 8.* Hoc ex Ecclesia habemus, ut sciamus, qvæ sit scriptura divina (*nempè respectu testificationis & custodiæ*) At cum eam Divinam esse constiterit, jam ex seipsa habet, ut ei per omnia teneamur credere.

§. 34. Inferunt porrò *Qvicung; docet, Scripturam esse cuivis debitè legenti claram, ita ut erudiri inde ad salutem suam possit, is aperit latam fenestram Libertinismo, dat schismaticis veniam credendi qvidvis, & omnia infanda. At verò Lutherani docent illud. Ergò & hoc.* Qvid tum? Ne cælum ruat? Confide, Lector, perversum est. Ista omnia crimina, qvæ ex vera & sana doctrina Christi & Apostolorum orta sunt, κατὰ τὸ συμβαίνειν eveniunt. Potesne dicere sine morsu Conscientiæ, Christum *Joh. 5.* ad Scripturas remittentem, Libertinos instituisse? Potesne dicere, Eundem portâ aperuisse schismaticis in infinitum, cum juberet Legere *Luc 19.* Cum objurgaret Pharisæos, qvod arcerent à regno cælorum tendentes illuc. Potesne id crimen Petro impingere *2. Pet. 1.* jubenti, laudanti, προσέχειν

τῷ

τῷ λόγῳ? Potesne id imputare Athanasio, Augustino, Chrysostomo, Hieronymo, Tertulliano, Cypriano & toti Ecclesiæ veteri idem nobiscum docenti? Aude aliqvid brevibus Gyaris & carcere dignum inferni!

§. 35. Inferunt amplius: *Qvicunq; ita docet, ut modò dictum, is tollit disciplinam Ecclesiasticam, Lutherani ita docent. Ergò tollunt hanc qvoq;.* Perverse! Qvia 1. ludunt in voce Disciplinæ Ecclesiasticæ, dum nihil peream intelligi volunt aliud, qvàm Cæcam obedientiam, qva omnes teneri debent credere id, qvod docet Roma. 2. Qvia corrumpunt significatum proprium Disciplinæ Ecclesiæ. Nam licere expendere Concilia & Papam, & Romanorum decreta, tollit ne Disciplinam Ecclesiæ? Si vera est major, sequitur: Ergò Christus qvoq; sustulit. Nam ille qvoq; ita docuit, ἐρευνᾶτε Joh. 5. Προσέχετε μὴν Matth. 7. Nolite credere illis Luc. 17. Ἄφετε αὐτούς. Matth. 15. Ergò Paulus qvoq; sustulit, Petrus, Apostoli & Augustinus ac omnes ferè Ecclesiæ Catholicæ Doctores. *Actor. 17. Actor. 20. Col. 3. 1. Thess. 5. 1. Joh. 1, 4. August. Ep. 111. ad Fortun. l. 2. ad Vincent.* Cum qvo an male respondebimus? *Neq; ego Nicenum, Neq; Tu Ariminense Concilium, tanqvam præjudicaturus,*

*dicaturus, proferre debes.* Adde Gratian. Dist. 37. Can. 14. Relatum est.

§. 36. Ulterius. Estne hæc Disciplina Ecclesiastica, *Vetare probari Spiritus an ex Deo sint? Non eligere qvod bonum est, Non cavere à falsis doctoribus?* Potestne sic contineri τάξις Ecclesiæ? Sic est. Ergò Apostoli sustulerunt & Dominus eorum ac Noster *Matth. 7. 1. Joh. 4. Actor. 20. & alibi.* Deinde solemus Disciplinam Ecclesiasticam vocare, τάξιν καὶ εὐσχημοσύνην in publico Ecclesiæ conventu, spectantem cultum externum & ejus disciplinam ac ordinem. Nunc ex Dnn. Fratribus didicimus, esse, Tyrannidem conscientiarum & jugum intolerabile Papæ & Romæ. *Matth. 23. 4.* Et qvem igitur non moveat tàm strenua disciplina, ut fiat illico, Romanus? Gal. 5. 1.

§. 37. Concludunt amplius: *Lutherani docent, Cives Ecclesiæ suæ non debere obstrepere doctrinæ aut judicio doctorum suorum. Ergò hoc ipso docent, Romanos esse veram Ecclesiam, qvia illa idem reqvirità suis.* Vide qvantum valeat ingenium! Sed illi argutè dissimulant & malè concludunt. Nam nos non prohibemus, qvod illi faciunt, civem qvemcunq; nostri

nostri cætus scripturam legere & ex ea secundum illam di judicare Doctorum sermones & dogmata, sed laudamus Berhoënses & ad eorum exemplum invitamus. Actor. 17. Sed simul nolumus, qvicqvam in ejus lectione esse debere ἰδίας ἐπιλύσεως Nolumus scripturam ex privato cujusq; cerebro σφεβλωθῆναι, qvod Petrus dixit esse ἀμαθῶν καὶ ἀστηρίκτων, sed volumus Ἐρευνᾶν scripturam, ἀναγινώσκειν, προσέχειν, εἰδέναι, & ita crescere in omni sapientia cœlesti, nec afferre sensum ad illam, sed auferre ex illa lecta, ut Hilarius qvoq; monuit suos auditores. Atq; ita ἀναλογίαν πίστεως Rom. 12. reqvirimus non δόξαν Romanorum. Matth. 15. Jam judica, Lector, qvàm sit hoc bonum an malum, qvamq; illud planum an perversum? Hoc eqvidem modo ex albissima candidissimaq; creta aut nive sepiæ atramentum fiet.

§. 38. Atq; hoc talo stant qvoq; cætera omnia. Adeo planè pervidere neqveo, qvomodo hæc possit esse causa, qvæ hominem in conscientia convincat sua, ut fiat è Lutherano Romanus, ut potius è contrario causa valida esse qveat, qvâ aversari com-

pellar ejusmodi cœtum, qvi non fortioribus telis se defendat.

§. 39. Qva propter Tu, qvisqvis es, mi Romane, ex jam allatis sic mecum ratiocinare paulò: Lutherani docent, qvod in Ecclèsia Veteri Prophetæ & Moses, qvod in nova Christus & ejus Apostoli & Doctores antiqvi; & qvoniam vident Romæ Verbum Dei Scriptum negligi, contemni, proscindi ac proteri, idem qvantum in se est custodiunt ac commendant omnibus ac singulis. Qvod si inde fit, ut qvis sibi fidens cudat novitatem & aberret, non potest id sano dogmati assignari culpæ, non magis qvàm prædicationi Apostolorum, qvæ odorad mortem erat non paucis & vox letalis. Potest ex optimo flore venenum aranea sugere. Proinde si cum hac doctrina confero Romanam ita deprehendo doceri: Papa non potest errare, Concilia ejusdem non possunt, Articulus

ticulos fidei determinare Papæ est cum exclusione omnium reliqvorum, Canonem Scripturæ constituere Romæ proprium est, Credendū est, qvicqvid Roma interpretatur, proponit, docet etiamsi nulla veritas scripturæ contestetur. Nam hujus sensus non est in illa, sed in scrinio pectoris Papæ Romani & Concilij. Scriptura autem sine hisce est nasus cereus flexilis, litera mortua, mater hæresium, atramentum & folium & omnia misera. At ego tamen nondum disco, Deum id ita revelasse cum disponeret media salutis meæ. Qvomodo igitur? Dabat Verbum, dabat Filium, dabat Apostolos, jubebat voluntatē suam scribi, scriptam asservari, asservatā legi, lectam custodiri, ex ejus postea norma vitam vivere omnem ac universam, sive fidem spectent, sive actionem meam. Hoc Verbum Dei scriptum lego, audio, sentio qvoq; semper ac perpetuò etiam ante tempora

pora Romanæ Ecclesiæ & Papæ, etiam hoc mortuo aut abdicato, aut hæretico, aut alias occupato, à Doctoribus aliarum Ecclesiarum, Græcæ, Orientalis, Occidentalis & totius οἰκουμένης pro Supremo haberi, æstimari pro oraculo Divino, pro Vero, verace & tanqvam qvod ex ore Dei processit semel. Videor ergò mihi securissimus fore, si qvod Deus præcepit, qvod Ecclesia testatur, qvod conscientia ab utroq; informata dictitat, idem qvoq; ego seqvar rescissis omnibus laciniis Coloniæ aut assutis pannis purpuratæ Romæ. Qvam ipsam intelligo, Qvicqvid me docet, velle ex scriptura astruere. Qvæ res mihi tàm suspecta est, qvàm qvæ maximè. Nam si interrogem, unde sciam, me esse membrum Catholicæ Ecclesiæ Christi, respondent vulgò. Ex testimonio Romanæ. Pergo, sed unde scio illam esse Catholicam? Ajunt, ex Concilio & Papæ responso. Insto,

At

At unde illi tanta autoritas? Docent, Habere ex promisso Dei. Ibi subjicio ego A Deo ne? Per oraculum ne igitur χρηματισμὸς, an per scriptas tabulas? Negant, de oraculo, affirmant, de literis. Jubeo eas mihi ostendi? Tergiversantur. Mox concedunt, & mihi legenti statim fit evidens atq; manifestum, Papam esse cum Conciliis scriptura inferiorem, & torqvere illam, ubi cum Monarchia ejus certare sentit. Atq; ita disco, *Verbum Dei esse ultimum*, ut ita loqvar, *Principium, in qvod resolvuntur omnia dogmata religionis Christianæ.* Procul dubio ergò illa Ecclesia melior erit, qvæ hoc observat, amat, colit, commendat & veneratur, qvod facit sic dicta Lutherana, qvam qvæ idem conspuit, minuit, torqvet, contemnit ac criminatur, qvod facit Romana. ὁ σοφὸς εὐθυρρήμων.

MOTIVUM

# MOTIVUM SECUNDUM.

§. 40. Perversum & hoc est, Qvia 1. rem controversam tacet, 2. dissimulat, & qvod nos non negamus ponit pro Dubio. 3. & qvod probandum erat, sumit pro Concesso. 4. adducit testes, non doctrinæ sed cathedræ. 5. atq; adeo mutat, vertit & in crustat pro libitu. 6. Nititur Principio planè Perverso ac corrupto. De qvo nunc ordine, sed breviter.

§. 41. *Argumentantur: Qvemadmodum humana societas testibus eget & eorum fide nititur, sic & Divina se habent.* Inferunt inde: *Ergò testimonium Ecclesiæ Romanæ debet reqviri ad intellectum Verbi Dei & electionem fidei salutaris.* Profecto vix numero terminos. Tot occurrunt in uno argumento. Ecce 1. Ecclesia est. 2. Romana. 3. Testimonium Ecclesiæ. 4. Testimonium Romanæ. 5. Testimonium Humanum. 6. Divinum. Monstri similis res est hoc, II. Motivum Hassiacum!

§. 42. Negatur σύγκρισις Dei & Humanarum rerum. Dei Verbum testis sibi ipsum est

est satis. Humana infirmitas mendacio obnoxia testes requirit suæ veritatis. Viro bono loquenti sine teste creditur, Deo loquenti non credatur soli?

§. 43. Confunditur *Testimonium internum & externum; Auctoritatis & Doctrinæ S. Custodiæ.* Illud Verbo congenitum est, hoc ab Ecclesia merito recipitur. Illud obligat & convincit hominem inconscientia per se-se ac natura sua, Hoc non nisi dependens ex illo & factum secundum illius præscriptum. Tam palpabilis perversitas hic regnat!

§. 44. *Luditur in voce Ecclesiæ.* Major loquitur de universali, Minor de Particulari Romana. Illius testimonium mixtum est ex Divino & humano, Hujus falsum & degener & privatum domesticumq; Pervertitur igitur omne hic quidquid uspiam legitur. Ajunt, Deus tamen adhibuit testes. Utiq;. Sed quales? Quomodo? An tales, qui sua autoritate confirment & constituant veritatem Dei? Impium dices. An ist hoc pacto ac fine, quo in foro humano assolent? Nihil minus. Dicit enim: ad Legem & Testimonium Esa. 8. jubet igitur ad Verbum suum omne testimonium de Deo hominum probari. Sed tamen

men Christus est testis? Et verè. Attamen dicit: Ego testimonium ab homine non accipio. Porrò: Idem habet & facit Apostolos testes? Facit. Et tamen eos Luc. 24. testari jubet ex Mose & Prophetis, ex scripturis Sacris. Hinc fit, qvod toties legimus *Testimonium* pro Doctrina, qvæ testatur hominibus de voluntate Dei. *Psalm. 25. 19. 93. 119. Exod. 40. Levit. 16. 2. Tim. 1. Actor. 22. 2. Thes. 1. 1. Cor. 1. 1. Tim. 2.* Atq; hoc testimonium semper est ex scriptura & illi conforme *Rom. 12. 6.* Hoc testimonium Ecclesia Catholica Christo perpetuò perhibet, & custodit summa religione *Rom. 3.* Romana secus facit, de qvo Praxis ejus testatur.

§. 45. Hinc apparet diversitas Testium Humanorum & Divinorum, Testimonij qvod appellamus, Auctoritatis & Doctrinæ sive Custodiæ, De qvo supra egimus *Motiv. 2. Sect. 7. Argum. 1.* jam ex hoc perverso Principio, qvid sperari potest sani ac boni? Sed audiamus tamen.

§. 46. *Inferunt: Fides est fundamentum, Fides eget testibus. Testes sunt Ecclesiæ, Ergò per Ecclesiam pervenitur ad fidem.* Duplex æqvivocatio, 1. In Voce Fidei, & Testis. 2. Ecclesiæ:

2. Ecclesiæ. Cum loqvimur de Fide Generali & Historica, qvò pertinet numerus librorum Canonicorum, admittimus Testimoniũ Ecclesiæ Catholicæ, cum de speciali sive salutari agimus, negatur eam Humano externoq; cœtus testimonio ita indigere, ut non possit accendi ex Verbo nisi illud accedat forinsecus. II. Cum nos loqvimur de Ecclesia, intelligimus Catholicam; cum illi, innuunt suam, qvæ est Romana. Jam construe hunc Syllogismum ex hisce sarmentis, & vide portentum ingens ac horribile.

§. 47. *Major loqvitur de Fide Salutari, Minor subsumit de Historica.* In altero, Minor loqvitur de Ecclesia Catholica, & infertur de Romana. Ita perverruntur singula, ut ubi consistere animus hic possit, vix inveniat. Hæc autem collectio Nostra vera est: Fides est fundamentum, fundamentum nititur verbo & constituitur Verbo, Verbum autem est Dei, Deus non eget alio teste, Ergo fides nititur Dei veritate in verbo revelata. Et hæc ipsa fides est fundamentum Ecclesiæ, cui superstructa meretur titulos augustissimos *Columnæ & Firmamenti.* Qvomodo igitur potest per Ecclesiam sine verbo perveniri ad il-

dem, qvæ nisi Fidem ex Verbo hauriret, Ecclesia non esset.

§. 48. Porrò. Ecclesia non operatur fidem, sed testatur. Spiritus autem Sanctus efficit per Verbum. Verbum igitur via est qva ad fidem pervenimus; Fidei fundamentum in Christò, Christi testimonium in Scripturæ tabulis; Scripturarum custodia penes Ecclesiam. Ita cuiq; suum tribuitur. *Jacob. 1. 1. Pet. 1. Rom. 3.* ipso etiam teste *Bellarm. l. 1. de Grat. c. 6.*

§. 49. Et qvid videtur de Romanorum Gersone tibi, qvi dicebat: *Constare plus esse credendum Evangelio qvàm Papæ?* De Panormitano, qvi ajebat: *In concernentibus fidem etiam dictum unius privati præferendum esse dicto Papæ, si ille moveretur melioribus auctoritatibus Veteris & Novi Testamenti?* Qvid hic audis, Romane? Potestne igitur ex tui Doctoris effato privatus Scripturam interpretari melius qvàm Papa? Potestne illa urgere Papam?

§. 50. Concludunt: Christus voluit prædicari fidem per Testes, Ergò Testes non sunt rejiciendi, Testes autem sunt in sola successione Cathedræ Romanæ & ejus Doctoribus

bus. Siccine? Crederem, nisi Perversa viderem. Nam jam suprà. §. 43. Hic distinximus & testimonium nos non rejicere ostendimus, qvod ita perhibetur de Christo, qvemadmodum ab Apostolis factum esse novimus. Testes Christi non rejicimus, illi enim ex ore & sermone Domini testantur. Ecclesia autem vera audit vocem Christi: Testimonium ergò de Christo alligatum est ad Verbum, qvod infra vide *Sect. 2. Argum. 2. Motiv. 1. 2.* Romam autem jurantem in Verba Papæ & Conciliorum audire non possumus, qvia Testes Christi esse cupimus & Verbi ejus. Ecclesia qvæ Verbo caret, cum Christo pugnat, qvæ cum Christo pugnat, qvomodo testis erit Christi? Dic hostem potius esse, & obtinebis.

§. 51. Sume Exemplum! Ecclesia Judaica prout externè splendebat constituta Concilio & Pontifice, dabat ne testimonium Christo olim? Non eqvidem, sed Joannes, qvem Schismaticum dixissent Romani si vixissent olim. *Hinc & Cap 9. 10. & seqq.* contradicunt ipsis Dnn. Fratribus. Qvid ais? Christus inqvit: Ego ab homine testimonium non accipio, *Joh. 5. 34.* Et tamen dicit alibi, Joannem testari de Christo. Qvomodo hoc sibi

constat? Nimirum hoc est, qvod suprà exposuimus, Testimonium auctoritatis & Doctrinæ. Illud habebat in sese Dominus, & habet hodie Verbum ejus, Hoc Joannes olim & nunc Ecclesia, qvam dicimus Universam.

§. 52. Si qvis est, qvi de Christo testatur cum Joanne & Apostolis ex Verbo & Testimonio ejus, cum eo nobis nihil pugnæ intercedit, sed pax & concordia & unitas in Christo. Nam hoc est, qvod dicebat Dominus, Ego habeo majus testimonium, qvam fuit Joannis illud. Ibi enim expresse inter illa recenset Scripturæ Testimonium.

§. 53. Inferunt ulterius, *Qvæcunq; Ecclesia longa testium serie nititur, illa est vera, Romana nititur. Ergò est vera. Cap. 15. 16. 17. 18.* Perverse ajo & imprudenter! Audi causam ἐγκλήματος mei. Æqvi vocatio est in voce Testium, & in re ipsa, qvæ est successio localis. Ut infrà Membr. 3. Argum. 1. Sect. 1. patescet pluribus. Nam aut sunt Testes illi successionis localis, aut sunt Fidei & Doctrinæ. De hisce non possunt intelligi, qvia fidem antiqvam non testantur, qvod praxis eorum & scripta docent. Ergò de successoribus loci & Cathedræ accipiendi erunt. Et

hoc

hoc nos facile damus illis. Nam locus non facit testem Christi sed fides; Nec cathedra Sacerdotem, sed hic illam. *Secundò*, Aut fuit illa successio testium interrupta, aut catenata. At non hoc, qvod probant Historici. Ergò illud. Non igitur universaliter verum est, qvod tamen tanto hiatu ostentatur. Amphora cæpit fieri, mox urceus exit.

§. 54. *Ais, Attamen majorem meretur fidem aliqva successio, qvæ nostra est, qvàm Nulla, qvæ est vestra.* Audio satis. Sed hæc est illa Perversitas, qvâ illa, qvæ nostra sunt vobis ascribitis, & nobis vestra. Nos successimus in locum Petri, Pauli & omnium Apostolorum, qvia Doctrinam & fidem eorum custodimus ac tuemur. Vos Hildebrandi & ejus seqvacium, nec invidemus. Vis exemplum? Pharisæi sedebant in cathedra Mosis. Ibi vides successionem localem. Sed erant cœci & cœcorum ductores. Vides successionem doctrinæ non adesse? Collige nunc tecum: Video cathedræ Petri successores à fide ejus recessisse. Et qvid inde concludis? Ergò non sunt veri ejus successores, sed nescio cujus. Idem tecum considera, qvoties legis Cap. 17. 18. Thomam convertisse Schytas, Titum prædicasse in Dalmatia, Jacobum

bum in Hibernia, Paulum in Hiſpania. Hoc nemo negat. Hoc controvertitur, An ejus ſucceſſores doctrinæ manſerint? Qvorſum mihi nux ſine nucleo, aut ovum ſine vitello? Adi HUNNI *Apoſtaſ. Eccleſ. Romanæ* & fide experientiæ, qvi nulli niſi tibi vis credere!

§. 55. Adducunt celebrem locum Auguſtini: *Evangelio non crediderim niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret auctoritas.* Sed cui non dictus Hylas? & qvoties reſponſum eſt: Δὶς κρούβη φάνα. De loco autem illo judicandum eſt, ex circumſtantiis, qvæ ſunt: *Manichæi contendebant, Epiſtolam Fundamenti eâ auctoritate eſſe præditam, qva Pauli & Apoſtolorum. Hoc negat Auguſtinus, & reſpondet, Non credere id ſeſe, qvod teſtimonio Eccleſiæ Univerſæ deſtituatur; qvod tamen Petrus & Paulus habeat. Non igitur indefinitè neq; καθόλυ Auguſtinus eſt locutus, ſed ad homines Scripturam reprobantes.* Lutherani verò nec ſcripturam rejiciunt, nec Eccleſiæ teſtimonium, qvod Libris Sacris perhibet, ſed id venerantur & urgent contrà Romanos, qvi utroq; carent.

§. 56. Et conſidera mecum hunc locum paulò fuſius, mi Lector. Auguſtinus non vult credere Fundamenti Epiſtolam eſſe Verbum

bum Dei, qvia caret testimonio Ecclesiæ confessorio. Lutherani itidem *Decreta Papæ & Concilia Tridentina* nolunt pro Verbo Dei agnoscere, qvia carent testimonio Ecclesiæ Universalis, gaudent autem domestico tantum. Augustinus disputat ibi contrà homines novos, Scripturam exsibilantes Sacram, ut suam substituerent: Idem Lutherani qvotidiè faciunt contrà Romanos. Augustinus reqvirit in fide historica testimonium Ecclesiæ Catholicæ: Nosqvoq; Ait se nôlle cuicunq; recens protrusæ chartæ credere sine teste Catholica Ecclesia, Nos itidem.

§. 57. Et ne fortè Rhetoricari in re seria videamur, addamus *Augustinum Tract. 3. in Joannem*: ubi ait: Magisteria forinsecus adjutoria qvædam sunt & admonitiones. Cathedram in cœlo habet, qvi corda docet. *Idem l. 2. de bapt. Contr. Donat. cap. 3.* Proprium est Scripturæ Canonicæ, ut qvicqvid in eâ scribitur, sit verum & rectum. Episcoporum autem literæ *(Papæ & conciliorum)* ut Cypriani & ipsa Concilia non modò qvæ per singulas fiunt provincias, sed & plenaria ac generalia *habent sæpenumerò qvod Corrigatur.* Sic & *Gratian. Dist. 10. Can. 5. & 8. Epiphan. Tom. 1. lib. 2. Hæres. 61.* & alii plures alibi à Nostris ad satietatem usq; allegati.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730436217/phys_0059
DFG

§. 58. Manet itaq; Perversum esse hujus Motivi Argumentum. *Qvæcunq; Ecclesia antiqvos habet successionis Apostolicæ testes, ea est vera. Romana habet.* Ergo. Major enim perverse concepta est, hoc pacto vera futura. *Qvæcunq; doctrinæ Apostolorum successione gaudet, ea est testis Christi & vera.* Deinde Minor simpliciter falsa est. Romani enim doctrinæ Apostolicæ non sunt successores nec Testes, qvod vide infrà *Sect. 2. Motiv 2. Argum. 2.* Nec verum est, localem successionem continuam eos habere, qvod Historia docet, & apparebit in seqventibus. Si cui hæc res curæ est, is adeat *Catalogum Testium Veritatis, Gerhardi Confessionem Catholicam & Osiandri Papam non Papam & alios.*

§. 59. Jam conclude contrà Dnn. Fratres, qvicunq; hæc legis, Romani non gaudent successione doctrinæ Apostolicæ & ejus Testium i. e. Doctorum, sed vacua fide Cathedra se jactant, Romani sunt cætus particularis, Defecerunt à doctrina & Verbo Christi. Ergò non possunt esse Catholica Ecclesia, sucessores Apostolorum & Testes

Ve-

Veritatis. Ac proinde qvomodo initio illis credere possum? Homines sunt. Vereor ne decipiar.

# MOTIVUM TERTIUM.

§. 60. Perversum est, Qvia iisdem vitiis laborat, qvibus superiora. Nam 1. Voce appropinqvationis pravè utitur. 2. Concessa allegat tantum ferè. 3. Nondum probata sua vetera formosius proponit. 4. Et deniq; nostra interpretatur ad suum arbitrium. Ejus illorum artificii gustum nunc hæc damus. Nam unum cognoris, omnia nôris. ἐκ τῶν ὀνύχων τὸν λεόντα.

§. 61. Argumentantur: *Lutherani in qvibusdam consentiunt nobiscum. Ergò accedunt nobis, & dant testimonium nostræ Ecclesiæ de Veritate.* Jam suprà responsum Vide. §. 20. 21. Hoc loco κατ' ἐν ϛατιν addemus: Romani in multis complures sentiunt nobiscũ, Ergo hoc ipso fatentur, nos rectè sentire & verum Scripturæ sensum habere, adeoq; esse veram Ecclesiam. Id verum esse hoc ipsum

Mot-

Motivum 3. [al] 4. necesse est fateatur. Nam dum vult evincere, Nos accedere ad illos, simul ostendit, illos appropinqvare ad Nostra. Qvod negari non potest. Qvod si igitur nostra talia sunt, ut eos non pudeat ulla ex parte agnoscere pro Suis, edoceant amplius, qvid tandem obstet, qvo minus coëamus in unitatem fidei salutaris?

§. 62. *Ajunt, Pontificem non agnoscitis, qvalem reqvirimus? Concilia Tridentina non recipitis? Missam, opera humana meritoria Vitæ, adorationem sanctorum & cultum Mariæ, Cœnam sub Una, & tot Traditiones Humanas non recipitis?* Agnoscant hæc talia esse, qvæ fidem Christianam non credita extingvant & vita æterna excludant negantem. Id qvod in Domino spero dicturum ex illis neminem nisi desperatum esse. Sin contrà existimant, ista in Verbo Dei & ejus Veritate unica non fundata tuto negari & non credi posse; qvid tergiversantur & gloriam hominum cariorem habent honore Dei, qvi in illorum animas redundat? Sin minus; qvæ igitur religio aut pietas illa est, in cerare picem, fucare nigredinem creta & rem malam velle exornare ut videatur sancta, Esai. 5, 20.

§. 63. Et

§. 63. Et tamen ita agunt Dnn. Fratres Cap. 2. Ajunt, *Lutheranos non posse probare è Verbo, S. Sacram esse solam fidei regulam exclusis aliis.* Et nihilo secius videri volunt, nos in aliqvo cum eis convenire, qvod falsum est. Nam semper hoc occlusum reticent, *Si interprete Roma & ejus Pontifice intelligatur.* Hoc si expressum extaret, qvam longè fugeret Lector, qvi nunc blando Appropinqvationis titulo allectus avidè haurit. Mox adducunt 2. *Thess.* 2: locum pro Traditionibus. Retinent igitur antiqvum statum, pugnant obsoletis armis, tantum in versis hastis incurrunt in homines, qvos volunt cum vitta & oliva ad castra tamen sua accedere. λῃρει, λῃρει.

§. 64. Cap. 3. *Ajunt, Nos consentire cum illis, qvod originalia Scripta Prophetarum & Apostolorum non supersint, & qvod Copiæ eorum sive Latine mavis, exempla sint non adeò plena ac firma.* Qvod posterius Apellæo colore pingunt, sed nos negavimus semper. Hoc vero dissimulant, ne fœditatem ulceris nudent, qvod malebant latere. Nihil autem aliud volunt, qvàm scripturæ fidem esse dubiam, incertam, imperfectam, qvia originale ejus non habemus. Animadverte φρεβλότητα! Qvid autem fiet loco *Deut.* 17. 18. *ibi* origi-

*originale Rex non habebat, & tamen Exemplari descripto jubebatur fidere & ex eo Timorem Domini discere diligenter.* An credibile est, omnes originale scriptorum tempore Christi habuisse, & Dominus nihilo minus ablegat ad Scripturas? Christus Luc. 3. 20. codicem Esaiæ sibi porrectum evolvebat. An credam originalem fuisse? Legimus aliter in Historia istorum temporum. Qvi in διασπορᾷ degebant judæi an habuêre originalia? Qvid inde fiet? Sed hæc ἄτοπα transiliunt, & adducunt spumam rei.

§. 65. Cap. 5. Ajunt perverse, Nos concedere, Deum plura revelâsse qvam libris scriptis, qvos nunc habemus, contineatur; Ajunt, nos agnoscere, aliqvos libros interiisse S. Sacræ & cætera talia. Dissimulant enim verum κρινόμενον. Nos docemus, Deum omnia qvæ ad salutem necessaria nobis sunt, revelâsse, eaq; contineri libris, qvos nunc habemus, scriptis. Negamus, Librorum Sacrorum Canonicorum si qvi intercidêre, qvod per verba Christi & ejus promissa non videtur *Matth. 5.* jacturam perfectioni Scripturæ qvicqvam detrahere. Ita sumunt ficta pro Concessis, controversa pro expugnatis, & agunt omnia ex arbitrio suo. Vide

Joh. 5. 46.

Joh. 5. 46. Rom. 15. 4. Et qvid respondebunt *Augustino. l. 2. de Doctr. Christ. c. 9.* dicenti: In his qvæ aperte posita sunt in Scriptura, inveniuntur illa Omnia, qvæ continent fidem, moresq; vivendi. Qvid *Hilario l. 12. de Trin.* dicenti: Dei sermo & vera sapientiæ doctrina, qvæ loqvitur, perfecta sunt & absoluta. Idem habent *Athanas. adv. Gent. Cyrill. l. 12. in Joann. alii.* Adde regulam *Nazianz. l. 5 de Theolog.*

§. 66. Cap 6. Miris modis sese volutant ac involvunt. *Ajunt, Nos agnoscere Scripturam ex traditione, ajunt, Nos admittere traditiones varias, ajunt, Nos accusare Scripturam imperfectionis, qvia illa nos ad Traditiones remittat.* Omnia perversa sunt atrociter. Primo tenemus, verbum Dei non contradicere sibi. 2. Traditiones non scriptas si scripto contraveniant, esse Humana ἐντάλματα, & ficta ac falsa omnimodis. Tales autem esse illas Romanorum de Missa, de Purgatorio, de Primatu Petri &c. semper demonstravimus 3. Traditionem Apostolicam admittimus, qvia qvæcunq; talis est, Scriptis Apostolicis, qvæ habemus, non contraria est. Vid *Hüter. Loc. Comm. De Tradit.* At illi loqvuntur de suis istis traditionibus, tanqvam

jam

jam constaret de Apostolica earum auctoritate, cum sit certissimum, de Purgatorio variè disputasse Patres post tempora Augustini, de Cultu imaginum contraria Concilia esse coacta, Canonem Missæ seculo 7. demum crevisse & auctum esse subinde. Et sic in reliqvis. Qvomodo autem hoc Apostolicum qveo dicere, qvod tempore Apostolorum non fuit, Dubium semper fuit, testimonium unanime consensus Ecclesiæ non habuit, qvòd cum seculis crevisse constat? Qvod deniq; cum verbo Apostolorum scripto è diametro directè pugnat? Verum ista omnia hic prætereunt Dnn. Fratres & pergunt rhetoricari securè.

§. 67. *Ajunt, Eos qvi dicunt, Scripturam solam esse judicem Controversiarum, confundere cum judice Legem; ajunt, Aliud esse Legem, aliud judicem. Aliud regulam, aliud operarium.* Et ita manifestò σφαβλῶσι qvoq; optima ac verissima. Istud enim qvin in rebus humanis ita sit, non est dubium. At in Divinis aliter se res habet. Christus ait: Verba sua *judicare*, *Epistola ad Ebræos* ait, λόγον θεοῦ esse κριτικὸν, Deus *Deut. 17.* jubet עַל־פִּי התורה juxta os legis pronunciare sententiam Et sic praxis in V. & N. T. semper obtinuit.

*2. Chron. 16.*

1. Chron 16. 2. Chron. 17. 30. 34. Esdr. 11. Nehem 8. 2. Tim. 3. Ebr. 4. *Sic Augustin. l. 2. cap. 33. de Nupt. & Con. ait:* Istæ controversiæ judicem reqvirunt, judicet ergò Christus, judicet cum illo & Apostolus Paulus, qvia & in ipso *Loqvitur* Christus. Sic Concilium Nicenum, Ephesinum, Constantinopolitanum, Chalcedonense contrà hæreticos egit. *V. Gratian. Caus. 24. Qvæst. 1. Can. 21.* Deinde, Dicant mihi sit ne absurdum valdè in rebus humanis statuere velle, judicem de lege judicare debere. Est enim judicis, judicare secundum Legem, non de Lege. Qvantò igitur magis hic valere debet Augustinus *l. de Ver. Rel. c. 31.* inqviens Fas esse, legem Dei mundis animis cognoscere, judicare autem fas esse negat. Noli sperare meliora, Lector Optime, in seqventibus; Nam hac indole omnia geruntur, hâc fide. Puto autem occasionem surrecturam esse, qva ista σαφέστερον prolixius enucleentur. Hac qvidem vice ἐλεγκτικῶς tantùm perstringimus Coloniam.

§. 68. Velim proinde hæc conferri studiosè cum iis, qvæ mox *Membro 3.* & posteà Sect. 2. Argum. 2. *Motiv. 3.* afferentur. Ubi omnia clarius effulgebunt & radio longiori. Nunc ad Fallacias.

Membrum

# MEMBRUM TERTIUM.

§. 69. **Sunt Fallàcia.** Etsi sufficere posse videbatur initio, ostendisse Perversitatem; tamen operæ pretium deinde qvoq; esse judicavi strictim declarare Fallaciam horum Motivorum, qvod & ita lucem Veritati clariorem & legentibus majorem qvoq; affulgere posse apparebat. Voco autem Fallacia his de causis. 1. Qvia perversitate sua decipiunt facilè 2. Qvia principiis falsis innituntur. 3. Qvia fallacibus argumentorum strophis constipantur.

§. 70. Fallit Argumentum Fraternum Motivi Primi, qvod tale est. *Qvæcunq; Ecclesia pluralitatem continet diversa sectantium, ea est de Veritate suspecta, Lutherana continet; Ergò-* Major, uti Suprà ostensum *Membro §. 2. 3. 4. & Membr. 2.* Fallit non enim est Universaliter vera, & decipit ἀμφιβολογία vocis Pluralitatis, Nam si diversitas illa à coetu, in qvo est, approbetur, jam facit eundem totum suspectum, sin minus, nec valet reddere suspectum. Proprium enim veræ Ecclesiæ est, ut habeat Sectas, & hæresium scanda-

la 1. Cor. 11. Et tenet regula vulgaris: Non sunt omnes De Ecclesia, qvi in illa externo habitu versantur. 2. Minor itidem fallit κατ' ἀμφιβολίαν & simpliciter negatur. Sensu tali si dicit, Lutheranos continere sectas ut eas approbet, falsum dicit & ipsi Soli injicit fuliginem. Si posteriori, jam responsum est. Postremo respondeo κατ' ἔνστασιν, Romani continent varias Sectas, Ergò sunt Ecclesia falsa. Antecedens suprà probavi *Membr. 1.* Verum erit ergò & Consequens.

§. 71. Fallit Argumentum: *Qvicunq; docet, Verbum esse legendum cuilibet, is aperit viam Libertinismo & tollit disciplinam Ecclesiasticam, Lutherani docent illud, Ergò & hoc.* Major fallit κατὰ τὸ συμβεβηκὸς & Æqvivocatione. Ex accidenti fit, si ex illo dogmate occasionem sumunt sectatores. 2. Supleri debet hoc modo, *Qvi docet Verbum esse legendum cuilibet ex proprio sensu & non* κατ' ἀναλογίαν πίστεως &c. Sic patet hiatus ulceris apertâ rimâ. Jam Minor est falsissima. Id enim nemo nostrum docet, aut docuit unqvam. Deinde fallit in vocabulo Disciplinæ Ecclesiasticæ, ut ostendi suprà *Membr. 2. 36.* Evolvamus: Et erit tale: *Qvi docet scripturam secundum* ἀναλογίαν πίστεως

*lectam unumqvemq; ad salutem erudire posse*, & *tollit dogma tyrannicum Romæ, de Cæca obedientia & Papæ solius infallibilitate. Lutherani docent illud. Ergò & hoc.* Concedimus totum. Et hisce larvis tàm protervè impugnamur amplius? Doleo & ingemisco.

§. 72. Ad reliqvas falsas illationes, argumentationesq; *Membr. 2.* passim est responsum. Nunc ad *Motivum Secundum.* In eo Fallit Argumentum 1. qvod est tale: *Si in humanis valet testimonium multorum, valet etiam in religione, Sed verum est prius. Ergò & posterius.* Nemo non videt τὸ ἐπόμενον claudicare. Ab homine ad Deum, à foro civili ad cœleste non V. C. Neq; totum effatum est universaliter verum. Si in qvibusdam res humanæ concordant cum divinis, Ergò in omnibus, Ergò in hoc qvoq;? Oppono: Deus in Verbo circâ res salutis hominum sibi ipsi testis est, ergò non eget testimonio humano, Ergò falsum est principium & ex eo deducta collectio.

§. 73. Fallit τὸ ἐπόμενον; fallit Ἀμφιβολία: *Christus & Apostoli processerunt per testes, Ergò & Roma rectè. Ergò Romæ omnia fidendum.* Distingvo inter *Testes Christi* qvi secun-

ſecundum Verbum ejus teſtantur, & inter *Teſtes Domeſticos*, qvi ex ſuo ſenſu perhibent μαρτύριον non Chriſto ſed ſibi. Nego, Apoſtolos fuiſſe teſtes Chriſti ex ſuo ſenſu, ſed ex Spiritus Sancti & Verbi ejus. Tales Romæ eſſe negamus ex qvotidiana experientia & praxi cœtuum illius.

§. 74. Fallit καθ' ἀμφιβολίαν: *Ubi eſt Succeſſio continua, ibi eſt Vera Eccleſia. Atqvi Romæ eſt illa, Ergò & hæc.* Diſtingvo inter Succeſſionem cathedræ localem, & Doctrinæ univerſalis Eccleſiæ Apoſtolicæ. Deinde ad Minorem, Nego continuam, ne localem qvidem ſucceſſionem Romæ fuiſſe. De Doctrinæ autem continuatione planè impugno. Et probo *Membr. 1. 2. Sect. 2. Argum. 2.*

§. 75. In Motivo 3. al. 4. non melior eſt ingenuitas. Fallit argumentum illud Generale: *Qvicunq; appropinqvat ad alterum, idem teſtimonium impertit ejus Veritati, Lutherani appropinqvant ad Romanos. Ergò.* 1. Major non eſt Simpliciter Vera, & jam ſuprà indicavi *Membro. 2: Motiv. 3.* Diſtingvo igitur, Duplex eſt Appropinqvatio in rebus religioſis, Altera Fidem ſpecialem, altera Generalem concernens. De hac non negamus

consentire ferè illos nobiscum, & nos cum illis, De illa absolutè & de plano negamus. Et illustrabit *Sect. 2. Membr. 1. & 2. & 3. Argument 2.* qvò vise. Neq; 2. id καθόλα concessum est ac Verum, eum statim dare testimonium Veritatis illi, ad qvem appropinqvat alter. Sunt enim *Res vel controversæ, vel concessæ.* In his non est appropinqvatio, qvia secessio nulla est, illæ autem qvam diu disceptantur, appropinqvationem aut ex Parte, aut ex Toto ad mittant necesse est. Si hanc, qvorsum dissensio? jam desii appropinqvare, qvi Tecum sentio; Si illam; debet proferri valida & plana & nuda demonstratio. Eam autem non esse datam suprà *Membr. 2. Motiv. 3. Sect. 1. Argum. 1.* delinea vimus.

§. 76. Fallit igitur Triga hæc Motivorum 1. Forma S. *Dispositione 2 Materiarum electione*, ac 3. *Fine, qvem priora jndicant satis.* Nam si sub aspectum unum singula contrahas, ita vides: Pontificis & Conciliorum ejus est, determinare libros Canonis & condere articulos fidei. Id fallit natura sua. Homo enim est, & de infallibilitate promissum divinum non habet. Fallit Consequens, Lutherani docent, unum qvemq; civem Ecclesiæ legendo S. Sacram erudiri posse

posse ad salutem, Ergò docent, unumquemq; debere determinare articulos fidei, & qvinam libri sint canonici? Aliud enim est, Determinare articulum fidei per rationem scholasticam, qva hodie terminatur Theologia, Aliud per simplicitatem fidei salutem in Christo sperantis. Expectet aliqvis in agone solatium ex scientia Scholastice definiendi articulum Fidei! 2. Falsum est, Articulum fidei esse, scire librorum Canonicorum numerum, Pertinet enim ad Historiam & Fidem Generalem. Ubi Testem Catholicam semper ut & illius admittimus.

§. 77. Fallit Consequens; *Hic vides Cathedram Petri, & ejus Successorem; Ergò hic vides Testem fidei Petri, & veram Ecclesiam.* Non enim omnes statim sancti sunt qvi loca eorum tenent. Possunt & in Cathedra Mosis sedere Pharisæi.

§. 78. Fallit consequens, *Fides humana indiget testibus, Ergò & divina.* Ab homine ad Deum N. V. C. Docet contrarium Verbum & praxis Ecclesiæ. Fallit Consequens, *Qvi admittit Scripturam, is admittit Ecclesiæ testimonium qvoq;, Lutherani admittunt illam.* Ergo. Est enim æqvivocatio in voce Ecclesiæ: Nos catho-

catholicam, illi Romanam intelligunt. 2. Fallit παραὶτὸπῆ κὴ ἁπλῶς. Non enim simpliciter statim Ecclesiam testem admittit talis qvi est, sed δοκιμάζει, προσέχει ἑαυτῷ examinat juxtà τὴν ἀναλογίαν πίστεως 1. Joh. 4. 1. Thess. 5. Matth. 7. Rom. 12. Hæc est Totius hujus artificiosi Laboris eruditio.

§. 79. Et qvem non præcipuè in cautiorem paullò decipiat tam formosa nonaria: *Lutherani appropinqvant ad Romanos, Absurda docent, Roma habet Successionem testium Ecclesiæ?* Et tamen ubi ad moveris Te propius, qvam solitudinem videas intus!

§. 80. Postremò sistat hic Lector accuratior Romanus & disceptet secum, an hæc Motiva possint in conscientia sua illum convincere, ut si non esset, fieret tamen Romanensis? Non putoniſi conscientia sit τεθυφωμένη, qvod abominor.

§. 81. Manifestò sentis Fallere istud Tuorum fundamentale Argumentum: *Qvæcunq; Ecclesia habet splendentem sub uno Capite visibili Papæ Conciliorum & Episco-*

*Episcoporum cœtum, ea est vera. Romana habet. Ergò.* Audivisti Majorem Fallere παρὰ τὸμὴ αἴτιον Non enim illa visibilitas, non Caput Papa, non ordo successionis localis Ecclesiæ constitutiva principia sunt & forma, sed fides & Verbum Dei Math. 16. Eph. 2. 2. Pet. 1. Rom. 3. Audivisti Humana esse figmenta, Ecclesiam ex *Aristotele l. 9. Eth. c. 9.* definire velle constitutionis civilis forma, ut qvemadmodum Civitas id maximè est, qvod in ea Principale est, & sicut tota civitas id facere & sentire dicitur, qvod Principes ejus; ita sub Ecclesiæ titulo sanctum censeatur omne, qvicqvid Papa & Concilia ejus decernunt. Vide longè diversa *Sect. 2. Membr. 2. Motiv. 2.*

§. 82. Vides Fallere Modum disponendi Proponendi, Discutiendi horum Motivorum, & omnia ὕπαλα. Ex qvibus omnibus ac singulis concludo citra cujusqvam injuriam,

*Vana*

*Vana* esse ac *Inania*. Vana dico 1. qvia à Vanitate sapientiæ humanæ oriuntur. 2. qvia vanitate ingenii non absurdi alias nituntur. 3. qvia præferunt soliditatem sub cassa nuce. 4. qvia contrâ lucidissimam veritatem & praxin Ecclesiarum nostrarum concordiam crepant in rebus fidei. Et qvid possit inveniri Vanitatis nomine dignius?

§. 83. Inania appello, Qvia effectu carent. Nam qvamvis non di judicem üllius Conscientiam, qvod Dei est, hoc tamen volo, Solidum animum & conscientiam Deo relictam nunqvam illis, talia qvamdiu sunt, moveri ita posse, ut fiat Romanensis. Vasa inania sonorè tinniunt, frontes rugosæ cerussa indigent, causa bona, fides solida sua mole stat, splendet sua forma. Deus immortalis ducat in nocentes veritate sua, premat altas mentes Deitate sua, edoceat eas, qvid sit illud *Non qvicqvid altum, qvicqvid nobile aut illustre Deus* elegit. Fiat!

SECTIO

# SECTIO SECUNDA.

## ARGUMENTUM SECUNDUM.

Θεῖον καὶ καλλιγραφάς.

§. 1. *Qvæcunq; causæ S. Motiva religiosa* 1. *Carent Testimonio Verbi Divini.* 2. *Pugnant cum Scriptura Sacra.* 3. *Non tranqvillant Conscientiam. Sed in Angustias conjiciunt & Sagittes, illæ non possunt qvenqvam movere ad capessendam religionem Romanam, sed potius ad vitandam fugiendamq; illam; Atqvi hæc 4. Motivæ VValemburgica sunt tulia. Ergò movere neminem debent, ut Romanus fiat, aut, si sit, maneat.*

§. 2. Majorem nemo Christianorum negabit. Est enim in confesso, Fundamentum Christianismi Fidem esse, qvâ Christum nobis applicamus, qvâq; eidem inserimur, Hujus autem Verbum Scriptum. Ephes. 2. 20. Qvicqvid igitur aut illo caret, aut cum eo pugnat, qvomodo potest movere ad assentiendum sibi?

§. 3. Minor à Romanis omni conatu & tota animi ac eruditionis mole impugnabitur. Sed ne commoveatur, nunc efficiemus

cum Deo, Ordine, qvo supra usi sumus, membratim singula perstringente Motiva, ac nostra argumenti ἐγκλήματα.

# MEMBRUM PRIMUM.

## MOTIVUM PRIMUM.

§. 4. Caret Verbi Testimono. Fundamentum totius hujus Motivi hoc est: *Pontifex & cœtus Romanus in Conciliis verum sensum Scripturæ & ejus οἰκονομίαν reliqvam infallibili censura possident; reliqvi privati sunt & non habent, ac proinde illi sunt soli audiendi. Ac proinde Lutherani qvoq; non habent, nec sunt audiendi seqvendiq;, alias daretur lata porta universis sentiendi qvidvis, tolleretur disciplina Ecclesiastica, & nunqvam terminarentur schismata.*

§. 5. Hoc totum & omne asseritur sine Scriptura. Nam 1. nec Mandatum expressum de

de eo habent, 2. nec Promissum Divinum, 3. nec Exemplum Scripturæ & Veræ Ecclesiæ. Qvin potius cum hisce 4. Scripturæ indiciis directè pugnant, ut patebit infra *Sect. 2. Membr. 2. Motiv. 1.*

§. 6. Qvamobrem hæc demonstranda sunt priusqvam illud fundamentum nobis nocere possit. Doceant, sensum Scripturæ genuinum à Spiritu Sancto soli Papæ & ejus Conciliis esse revelatum: Doceant, Omnes fideles ad ejus interpretationē Scholasticè esse à Deo alligatos ac remissos. Si ajunt, Tolli nisi ita doceatur, disciplinam Ecclesiasticam; Doceant è Scriptura. Non fore finem schismaticis; Doceant è Scriptura. An illorum contortissimis conclusionibus & violentissimis argumentis credemus solis?

§. 7. *Ajunt, E Verbo non scripto habere id Papam?* jam confitentur, carere idem Verbo Scripto. Deinde & hic duo iterum illis confirmanda. 1. Dari verbum non scriptum, qvo contineantur multa, qvæ ad salutem necessaria in Scriptò non extent. 2. Verbum illud traditum verum esse indubitatumq; apud Se. Hic facilè sentiunt, Prius pugnare cum Perfectione verbi scripti, Posterius nondum

dum à qvoqvam esse constanter demonstratum. Afferunt dicta Scripturæ? At ea necesse est, ut iterum ostendant, præter Papam & Romam neminem attingere. Jam verò prostant tàm aperta Scripturæ verba, qvibus omnibus fidelibus fit promissio verbi & in illo Vitæ, ut non possit nisi sensu omni excorris asserere ad certum locum Deum promissiones suas in Novo fœdere, & id qvidem Romæ, alligâsse. Tantam væcordiam ac stuporem hodie nemo Christianus capere aut pati potest.

§. 8. Contrà. Extant Scripturæ Exempla, Pontificem & Concilia verum sensum Scripturæ non habuisse. *Esa. 56.* Omnes speculatores ejus Cœci sunt, Nesciunt Universi. Si cœci sunt, & nescire universi possunt, qvomodo Soli illi verum sensum Verbi nobis dabunt? *Jerem. 6.* A Prophetâ usq; ad Sacerdotem Qvisq; sectatur mendacium. Qvid clarius? Possunt ergo Sacerdotes summi, infimi, omnes sectari mendacium. Qvomodo ergo infallibili veritate toti cœtui fidelium præjudicium facient in intellectu & interpretatione Scripturæ? Ita Scribæ ac Pharisæi & eorum Concilia tempore Christi Verba Davidis *Psalm. 110.* non intelligebant *Matth. 22.*

Sedebant

Sedebant in cathedra Mosis, & tamen erant *Cæci & Cæcorum Ductores.* Videntes non Videbant, & audientes non intelligebant *Matth. 12. Joh. 3. 9. 11.* ipsi Apostoli non penetrabant in verum sensum Scripturæ *Luc. 24. Actor. 10.* Et possunt ne Romani majus aliqvid sibi solis vindicare ac singularius?

§. 9. Ais, *Petro data est Promissio de non errando?* Et tamen post illam factam erravit, *Gal. 2. Actor. 10.* Et qvid Petro cum Papa? Hæc obsoleta sunt, Dnn. Fratres! Speraram aliqvid novi & fundati magis. Petro successit, ais? Qvomodo autem potest Petro succedere in re, qvam Petrus non habuit solus. Imo ne habuisse qvidem satis declaratum hucusqs est. *De qvo supr. Membr. 2. Sect. 1.*

§. 10. Qvis dabit sensum Scripturæ, Papa & Roma errantibus? Et constat tamen fuisse hæreticos, Epicuros, magos & veneficos Papas & portenta humani generis. *Anastasius* erat Nestorianus, *Achatius*, hæreticus, & á Gelasio excommunicatus. *Liberius* fuit Arrianus, *Innocentius Primus* Usum Cœnæ infantibus ad salutem necessarium esse docuit, qvod *Tridentini* damnant. *Honorius* Monothele-

tholeta fuit, qvicqvid negentilli. Et unde tunc aut ubi interpretatio vera Scripturæ? Hæc & talia plura vel millies à noſtris inculcata ac repetita nihil movent, cum tamen vera eſſe negari neqveant. Et nos moveant ſtramina & ſtipulæ horum argumentorum?

§. 11. Ais, *At Eccleſia eſt columna & firmamentum Veritatis.* Omnino. Eſt. Sed qvæ Eccleſia? 1. Catholica & Univerſa. Utiq; Non ergò Romana, qvæ Particularis eſt. 2. Qvomodo? Qvia ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum exſtructa eſt *Eph. 2. 20.* Qvia inititur inconcuſſa fide petræ Chriſti & ejus doctrinæ. A ſe non habet hoc, à Chriſto habet, & ejus verbo, qvod ſervat & cuſtodit & credit. *Matth. 16.* Poteſtne fieri, ut uni vindices, qvod omnibus promiſſum eſt? Unde patet, non poſſe id fundamentum *Fraternum* conſiſtere, qvia poſitum eſt ſine verbo, ſine Promiſſione, ſine Mandato ac deniq; Exemplo Divino.

§. 12. Pergamus in gratiam contumaciæ. Si Papa & Roma Sola habet verum ſenſum Scripturæ, Cur jubet Chriſtus Scrutari Scripturas? Cur jubet legere? Cur amandat ad Moſen & Prophetas? Cur dicit, Spiritum ſpirare ubi vult. *Joh. 5. Joh. 3. Luc. 19.* Cur

Apo-

Apostoli jubent attendere Lectioni, Sermoni Prophetico, manere in iis, qvæ didicerunt ex Scriptura. *2. Tim. 3. 2. Pet. 1.* Cur semper ita jussit Ecclesia, prædicavit, tractavit, prælegit? Cur *Augustinus Serm. de Meditat. Leg.* Lectionem Scripturarum, præcognitionem divinæ beatitudinis non parvam dixit? *Et addit:* In his enim qvasi in qvodam speculo homo seipsum considerare potest, qvalis sit, vel qvo tendat. Qvi vult esse cum Deo, frequenter debet orare & Legere. Cur jubet *Hieronym. ad Demetr. Virginem.* Divinas Scripturas sæpius legè: Imò nunqvam de manibus tuis Sacra Lectio deponatur. Per Solas Scripturas potes intelligere voluntatem Dei. Cur monet *Chrysostom. homil. 29. in Genes.* Domi qvoq; Biblia in manus sumite & utilitatem illorum magno studio suscipite. Primum enim Lectione lingva reformatur, mox anima pennas sumit & elevatur, & illuminatur jubare solis justitiæ. *Et mox:* Qvod cibus corpori, id animæ Lectio præstat. Cur *idem Homil. 3. de Lazar.* sic hortatur. Ne qvis mihi dixerit; Ego mundanus sum, non est meum legere scripturas, sed enim, qvi valedixerunt mundo &c. Qvid ais homo? Non tuum sit legere scripturas, qvod distraharis curis seculis imo tuum magis est, qvàm illorum.

§. 13. Qvæso

§. 13. Qvæso Te, mi Lector, cui bono ista omnia, Si nemo præter Papam verum sensum assequi possit qvantum ad salutem facit cujus libet? Procul dubio sentis, aliud esse Scholasticum & aliud Christianum; sine dubio vides, fastum & tumorem Romanum cum tota Ecclesiæ praxi bellum gerere. Maneat igitur illa vetus regula: *Unde jus procedit, inde & petatur interpretatio.*

§. 14. Qvantò rectius *Augustin. l. 2. ad Vincent.* Negare non possum, sicut in ipsis Majoribus, ita multa esse in tàm multis opusculis meis, qvæ possint justo judicio culpari. *Basilius*: Non negamus, nos erroribus Subjectos esse, cum homines simus, & in Carne vivamus. Et qvotqvot hujus generis legimus reliqvos.

§. 15. Meminerint, Augustini lapsum in *Cap. 6. Joann.* expositione, Irenæum de Chiliastis sentientem, Tertullianum cum Montano erràsse, Cyprianum de baptismi iteratione titubasse, Hieronymum de Secundis Nuptiis & sic deinceps. Dicant cum Augustino, *Hunc honorem solis* Canonicis Scripturis habeo, ut credam eas Non errare nec fallere. Sentiant cum *Chrysostomo Hom 3. de Lazaro:*

Lazaro: Fieri non potest, ut omnia exæqvo ignores. Nam ita Spiritus gratia illa dispensavit, temperavitq; qvo publicani, piscatores tabernaculorum opifices, Pastores, idiotæ, illiterati *Per hos libros* salvi fierent. *Cum Augustino l. 2. c. 6. de Doctr. Christ.* Spiritus S. Scripturam ita magnifice & salubriter modificavit, ut locis apertis fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruitur, qvod non Planissimè alibi dictum reperiatur.

§. 16. Si hunc animum induerint Dnn. Romanenses, nihil supererit rancoris, ac marcidæ ingeniositatis, qva Papæ solius & Romæ in sacris dominatum comant atq; exornent, aut unde absurditatem consequentium ex Lutheranorum dogmate de Scripturæ lectione scaturientium, qvod opinantur, deducant. Non nobiscum hic disputant, sed cum Prima Veritate, cum Christo, cum Apostolis, cum Ecclesia Catholica, cujus nos membra profitemur.

§. 17. Adeoq; qvicqvid sine testimonio divino propositum, conclusum, aut collectū fuit, rejicimus eadem facilitate, majori autem jure qvàm qvo fuerunt adducta ejus argu-

menta. Stat autem doctrina Apostolico Lutherana, Scripturam sensum & interpretationem veram non ab ullo homine sed à se ipsa mutuari, & in se comprehendere ἀναλογίαν πίστεως, & vitam æternam. Deriventur hinc absurda venenatissima infinita. Verum constabit sibi, etiamsi fractus illabatur orbis. Qvid absurdius ex mente Coloniæ, qvam hoc *Davidis Psalm. 119.* Da mihi intellectum & scrutabor Legem Tuam! Illumina faciem tuam super servum, tuum, & doceme justificationes tuas! Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de Lege tua. *v. 34. 18. 135.* Qvid magis Libertinismum sapiat ex conclusione Walemburgica, qvam illud *Hilarii Lib. 1. de Trinitate*: Optimus interpres est, qvi dictorum intelligentiam ex dictis potius expectet, qvam imponat & retulerit magis, qvam attulerit, neqi id cogat videri dictis contineri, qvod ante Lectionem præsumserit intelligendum. Ab his nos ne ungvem latum discedemus, & malumus cum hisce audire absurdi, qvam cum Colonia sapientes.

§. 18. Unum addo. *Gratianus* is est *Distinct. 37. Can. 14. Relatum est*: Oportet ex ipsis scripturis sensum capere Veritatis. Qvapropter, si opor-

Si oportet è Scripturis capere sensum veritatis; Non oportebit utique capere ex sensu Romano. Nam & sic audio *Ambros. Serm 8. in Psalm. 118.* omnes alloqventem: Si manu qvadam mentis tuæ Scripturæ januam pulses, aperietur tibi *Non ab alio, sed à Dei Verbo.* Non ergo à Romæ Janitore & si illi vel absurdissimum id videatur Matth. 15.

# MOTIVUM SECUNDUM.

## Caret Verbi Testimonio.

§. 19. Fundamentum Walemburgicum hic est tale: *Successio externa localis Doctorum & Episcoporum in coetu Romano testis est antiqvæ doctrinæ Apostolicæ, & ostendit veram Ecclesiam nullam esse aliam præter Romanam hodiernam.* Qvæ hic lateant falsa, qvæq; fallacia ac Perversa suprà *Sect. 1. Argum. 1. Motiv. 2. Membr. 2.* discussimus satis. Qvare eadem heic non recoqvimus, sed candidum Lectorem isthuc ablegamus. Hic tantum declaramus ἄγραφον esse & Verbo non niti.

Nam qvæ de Christo & Apostolis & Ecclesia primigenia hic adducuntur, ista omnia ac singula in præcedentibus distincte sunt explicita.

§. 20. Caret igitur hæc Assertio, 1. Præcepto. 2. Promisso divino. & 3. Exemplo Scripturæ ac praxi Ecclesiæ Universæ. Deus nusquam nos jussit attendere ad successionem Doctorum, ad Cathedram Petri, ad Locum Testium, sed ad Fidem eorum, doctrinam, ad Testimonium de Christo, id est ad Scripturam & ejus Lucem ac διδασκαλίαν, ἔλεγχον, ut simus ἄρτιοι ad omne bonum. 2. Neq; promisit in N. T. sese ulli loco certo per splendidam successionem hominum Verbi sui operationem astricturum esse, sed Matth. 18. contrà & *Joh.* 4. 20. pollicitus est, & admonuit caveremus à docentibus hoc pacto *Marc.* 13. 21. Neq; 3. exemplum ullum consignari fecit qvo ad imitationem raperemur attentionis ejusmodi.

§. 21. Et hisce ita præsuppositis prohibitum nobis qvoq; intelligimus, definire Ecclesiam, qvòd sit Coetus hominum Christianæ fidei professione colligatus sub regimine successivo Episcoporum & capite visibili Monar-

Monarchico Pontifice Romano, apud *Bellarm. l. 3. de Eccl. mil. c. 2.*

§. 22. Nam & obscuritate illa laborat descriptio, qvia admittit hypocritas ac hæreticos, & ne ipsi qvidem Romanæ competit, qvæ fidem Christi & Sacramenta ejus non habet, sed propria omnia & sibi ficta. Ac præterea formam Ecclesiæ constituit in externo semper splendore & regimine civili mereq; mundano. Vera enim Ecclesia Regnum Christi est Psalm 144. Domus Dei est *Joann 2. Ebræ. 3.* Ubi Deus in Christo vera fide, legitima Sacramentorum administratione à credentibus adoratur & colitur in Spiritu & veritate *Joh. 4.* cujus sigillum est, Deus novit suos. *1. Reg. 19. 2. Tim. 2. Rom. 8.* Unde & in Symbolo profitemur Credere nos Ecclesiam non Videre tantam, qvanta est ac palpare. *Rom. 2. 29. 1. Reg. 8. 39. Luc. 18. 20. Psal. 46. 14. 1. Pet. 3. 4. Ebr. 12. 22.*

§. 23. *Qværis, sed cui me adiungam cœtui quem videam, cum audio Ecclesiam veram non semper incurrere in oculos, tanqvam civitatem & rempubl. aliqvam?* Habes cœtum Vocatorum satis palpabilem, audis ibi verbum, uteris Sacramentis Christi voce institutis; huic te associa,

hic potes invenire veram Ecclesiam. Nam sic Christus se ad futurum promisit, si duo aut tres in nomine ejus congregantur. *Matth.* XVIII. Ais, *At ibi non video Unitatem, Sanctitatem?* Videre tu eqvidem vis omnia, credere nihil, nisi qvod lubet. Cura, ut tu sis in tali cœtu Unus cum Christo, & in eo Sanctus, ille procul dubio videt, si tu talis sis, tui similes. Lege locum, 1 *Reg.* XIX. *Ebr.* XII, 22, 1 *Cor.* XVI. Quid sollicitus es de aliis, attendite vobis, attende tibi, tene quod habes. In Ecclesia esse potes facile: vide ut & de eâ sis, membrum Christi eris, si civis es Ecclesiæ, Civis autem Ecclesiæ es, si vocem Christi audis, & in sermone ejus manes. Qvid hæres in deliriis crassæ carnis tuæ de externa pompa, splendore, visibilitate? Regnum DEI intrà Te, intrà Vos est. *Luc.* XVII, 20, 21. Τὰ ἀνώτερα καὶ λέω.

§. 24. *Desideras testimonium successionis?* Vide, ut tu succedas fidei testimonio, qvod ab orbe condito, à vocato Abrahamo, â Nato Christo successores suos habuit, & habiturum est. *Psalm.* XLVII. *Matth.* XVI. *Esa.* 1. 9 *Rom.* XI. Habes Abraham testem, Testem Davidem, Testem Johannem, Testes Apostolos, succede testimoniis illorum. Testes quæris Christi? Crede in illum & serva mandata

data ejus, & testis ejus eris. *Apocal.* 2, 12. Cura ut habeas Testimonium Spiritus Sancti. *Rom.* VIII. Ut testem habeas conscientiam *Rom.* IX. 1 *Cor.* 1. Testem DEUM 1 *Joh.* v. Noli imitari simulatores & mendaces stentores, jactantes Templum Domini, templum, templum Domini, & Domino carentes. Non commendat te ad vitam aliorum successio in locum fidelium testium Christi, sed tua in fide eorum constans perseveratio. Locus peribit, Cathedra corruet, homines morientur, fides tua te salvabit æternum. *Matth.* XXIV. *Marc.* XIII. *Luc.* XXI.

§. 25. *Porro.* Danda est opera, Ne fides nostra deficiat. Testes enim illi externi deficiunt sæpè. Non enim promissio DEI adest de perpetua locali Doctorum successione conjuncta cum vera testificatione de Christo. Vide & inspice diligenter locos *Ezechiel.* VII. *Mich.* III. *Esai.* 1, 3. *Jerem.* 2, 26. *cap.* v. 1. 1 *Reg.* 19. 2 *Reg.* 19. *Matth.* XXIV. *Luc.* 18, 8. 2 *Thess.* 2. 34. *Apocal.* 2, 3.

§. 26. *Amplius.* Data sunt nobis exempla in contrarium, ut caveremus à tali ratiocinatione, qvâ hoc fundamentum utitur, 1 *Cor.* 10, 11. Pharisæi ut successionem probarent, te-

xebant genealogias, Paulus jubet eas vitare ac fugere. *Tit.* 3. 1 *Tim.* 1. Numerabant inde ab Aarone, jactabant magnificum genus, & seriem trahebant longè splendidiorem illa Romanensium; Et tamen erant latrones, fures, simulatores, cæci, filii Dœmonum & viperarum teste Domino. Ubi igitur tunc auxilium jactantiæ de successione? Apostolis in cathedra & officio succedebant immanes Lupi, λύκοι βαρεῖς, *Actor.* xx. An idcirco erant testes Christi? Ecclesia Constantinopolitana pompatico syrmate trahit stolam formosam multorum Patriarcharum apud *Niceph. l.* VIII. *Chron. cap.* 3. jam inde ab Andrea Apostolo? Et tamen schismatica est Romanis. Si illis itaqve licet hic distinguere inter Græcam Novam & veterem, cur vetant nos discrimen statuere, inter Romanam Novam & Antiquam? De similibus idem est judicium.

§. 27. *Successêre tamen in officio?* Hoc eò pejus vortet iisdem. Aliud est *Officium*, aliud, *officii executio*, Aliud successio *in officii debitam curam.* Caiphas summus Pontifex successor erat Aaronis *Joh.* XI. & tamen officio malè præerat. Condemnabat enim Scripturam & Christum. Proindè, Non debes eos existimare statim successores Apostolorum, qvi

qui loca eorum tenent. Potest & Pharisæus sedere in cathedra Mosis & simia in nido hominis, & felis in crocota.

§. 28. Non ego hæc scribo, sed Doctores Ecclesiæ. *Nazianz. Orat. de Athanas.* Διαδοχὴ πίστεως ait, vera & propria successio est existimanda. Τὸ μὲν γὰρ ὁμόγνωμον, καὶ ὁμόθρονον τὸ δεξιόδοξον καὶ ἀντίθρονον, atque hæc quidem nomen, illa vero ἀληθειαν ἔχει Διαδοχῆς. Quæ verba rotunda, Latinè æquè nervosa non sunt. Sed *Ambros.* Latinè *dicet Lib. 1. de pœn. cap. 6.* Non habent hæreditatem Petri, qui fidem Petri non habent. Et *Gratian. Dist. 40. cap. Multi:* Videatis quomodo sedeatis super cathedram. Quia non cathedra facit Sacerdotem, Sed Sacerdos Cathedram. Hæc cogita cum legis hujus *Motiv. Cap.* XVI. XVII XVIII.

§. 29. Denique caret DEI verbo illud *Cap.* XIX. XX. XXI. *Concilia non possunt errare. Ergò Romanæ Ecclesiæ est initiò fidendum.* Nam ut de fallacia, quam suprà perstrinximus, nihil dicam, Patres & Concilia errare non posse, Scriptura nulla dicit, nec præcepto, nec promisso, nec Exemplo. Non loquor de illis jam

millies refutatis, quæ Romani sæpè in hunc finem citarunt. Sunt enim vetera & rubigine exesa, splendidiora autem hic exspectaveramus. Jam in præcedentibus aliquoties de errore Patrum rem dedimus explicitam.

§. 30. Concilia qvamvis per testes processerint, errâsse, vel *Lutherus* doceat *Tom.* VII. *Jenens. Libr. de Concil,* Errabant tempore Christi *Matth.* XXVI Errabant alia *Actor.* IV. I. & VII, & XXII. Erravit Milevitanum *Can.* VII. Constantinense, in usu calicis, Tridentinum, & alia. Velim autem audire ex Romano aliquid solidi de Concilio *Basileensi*, Erraverit ne tollendo Concilium super Papam, an secus? Et agnovit hanc pugnam Conciliorum ipse Romanorum *Erasmo Annot. in N. T. 1 Cor.* VII. Adde *Esai. 56. Jerem. 6. Ezech. 22. Matth. 15, 14.*

§. 31. Huc igitur summa redit, *Testimonium Ecclesiæ de Christo & fide salutari desumi ex Verbo DEI scripto, & ad illud applicari* ac juxtà illud, sed requiri Majus *Joh.* IV. Idqve Divinum & infallibile natura sua, qvod est verbum DEI, quod habemus in Scriptura. *Augustin. Ep* XIX. *ad Hieron. Et l. 2. c. 3. de bapt. adv. Donat. Et l. 2. c. 33. de nupt. & Conc.* Ut & *Epist.* CLXIII. nobiscum sentit, & Constantinus Cæsar apud *Theodoret. l. 1. c. 6.* Qui Patres Concilii Nicæni

ni jubebat testimonium desumere ἐκ τῶν θεοπνεύστων λόγων. Et sic qvoqve processere per testes Apostoli, semper provocantes ad illud solenne: *Sicut scriptum est.* Ita enim acceperant à Christo *Luc.* XXIV. *1 Cor.* XI. *1 Joh. 1. Johann.* XVI. *Actor.* I. Si qvos aliter testantes Ecclesia Christi audit, non suscipit. *Joh. 10. Matth. 6. 2. Pet. 1. Actor. 22. Gal. 6.*

# MOTIVUM TERTIUM.

## Caret Verbo DEI.

§. 32. Duo hîc moneo antequam ingredior. 1, Non omnia me 37 illa Capita Walemburgica perstringere, quod id ad Ἀγίαφον sequens reservandum ducerem. 2. Non mutavi aut incrustavi τὸ κρινόμενον antiqvum, cujus causa olim secessionem fecimus. Deprehendi enim id ubiqve latere, & involutum albis fasciis nitere tantum forinsecus. Quamobrem satis feciſſe me candido Lectori arbitror, si digito ad fontes intento monstraverim obturatos meatus vivos.

§. 33. Caput 1. ait *Rom. 10. Gal. 1.* secum facere,

facere. Negatur. Intelligunt enim semper, Quatenus Ecclesia & Papa interpretatur. *Concil. Trident. Sess.* III. Hoc autem non est Verbum DEI, sed Papæ. Hoc non revelavit DEUS, sed Roma, non Spiritus S. sed Caro & Sanguis.

§. 34. Cap. 2. negant, Solum Verbum scriptum regulam esse fidei ex *2 Thess. 2.* Sed falso. Nam vox *Tradere* & *Traditio* sumitur dupliciter 1. pro Doctrina, quæ fit vel voce vel scripto. Paulus loqvitur de utraqve ratione docendi, non de Doctrina diversa, *1 Cor.* XV. *2 Thess. 2.* Non enim humanas παραδόσεις, sed suam, quam docuerat, doctrinam inculcat. *1 Cor.* XI. Est deinde 2. Traditio humana duplex iterum: vel merè Talis, vel Apostolicæ doctrinæ conveniens. Illa est Pontificum & Romanorum de Missa, de Purgatorio &c. Hæc qvam non rejicimus sed toleramus & accipimus facilè. Sic P P. sæpè ad Traditiones provocant, sed non merè Humanas id est Falsas & suppositicias, verùm ad Apostolicas. Ita *Iren. l. 1 c. 2. & lib. 3. c. 4.* Traditionem Apostolorum, symbolum appellat. Et 2. certo tempore, videlicet, quoties cum hominibus Scripturam rejicientibus negotium illis erat, quod patet ex *Tertulliano*. Et id porrò, quatenus

cum

cum Scriptura concordabant. Hinc *Iren. l. 3. cap. 3.* Omnia sint συμφωνατὰς γραφὰς. *Cyprian. Epist. ad Pompej.* Si aut in Evangelio Præcipitur, aut in Apostorum Epistolis & Actis continetur, observatur id ut *Sancta Traditio* Ubi vides, nihil fuisse tunc temporis receptum nisi quod Mandatum aut Testimonium in Apostolicis & Evangelicis scriptis haberet expressum. *Basil. Epist.* xxc. rotundè decidit. Rejicienda est Consuetudo & standum doctrinæ à DEO inspiratæ. Apud qvoscunqve ergò inveniuntur oracuIis divinis consona dogmata, iis adjudicetur sententia.

§. 35. *Negant, nos ex Scripturis probare posse, eas solas esse regulam fidei cum exclusione alterius.* Falso. Nam possumus id, quod illi negant. 1. Ex *Esa.* VIII. ubi immediatè annexa comminatio habet vim Exclusionis. *Gal.* III, IV. τῷ κανόνι τῷ. 2. Ex ore Christi dicentis: *Soli DEO servies.* Cultus autem DEI proprius est, mandata ejus servare, sermonem ejus custodire, non audire alium præter ipsum. *Exod.* XX. *Deut.* VIII. *Deut.* IV. Non enim servit soli DEO, qui humanis eum traditionibus præter Scripturam colit. *Matth.* XV. Et ita statuit nobiscum *Tertull. de resurr. c. 3.* Aufer hæreticis &c. Ut cum *Scripturis SOLIS quæstiones suas sistant,*

*stant* & non poterunt. 3. Ex praxi Christi & Apostolorum, qui nunquam ad Verbum DEI non scriptum sed scriptum solum rejecerunt. *Joh.* V. *Luc.* XIX. 2 *Pet.* I. 2 *Tim.* 3. *Actor.* XVII. *Matth.* IV. *Luc.* XXIV. 1 *Tim.* VI. adeoqve ipsius DEI in Vet. Test. *Deut.* XXX, 9. 10. *Apocal.* XXII, 19.

§. 36. Cap. 3. caret verbo DEI, Originalia sola esse incorrupta. *Deut.* XVII. *Luc.* VII, 17. *Actor.* VIII. Caret veritate, *Concilium Carthag.* III. *Laodicenum*, vel qvodcunqve aliud posse librum, de quo Ecclesia semper dubitavit, qviqve contineat ἀνλιγραφα vel ἄγραφα, facere Canonicum. Vid. *Concil. Laodic. Can.* LIX. quod Anno CCCLXIV. celebratum fuit. *Eusseb. l.* IV, 26. *Origen. l.* 6. 18. *Cyprian. Exp. symbol. Epiphan. lib. de Mens. Hieron. in Prol. Galeat. Athanas. in Synops. Nazianz. de libr. genuin.* & alios.

§. 27. Cap. 5. Adducunt exempla earum rerum 1. quæ ex scriptura probari possunt. 2. cum eâ non pugnant. 3. Consensum totius Ecclesiæ habent unanimem. Quales traditiones nos nunqvam in dubium vocavimus. Prætereunt autem suas *de Purgatorio*, *de adoratione imaginum* &c. Quæ Cap. VI. allegantur, ea par-

ea partim cum perfectione scripturæ pugnant, partim supra sunt dissipata. Confer. *Luc.16,13. Joh.16.* In omnem Veritatem. *Gal.1. Præter id.* Ubi particula *præter* verè loquendo ne quidem annunciatum & scriptum pati vult. Non enim dixit *Contra* id, sed *Præter. Joh.xx.* dicuntur Scripta, ut Vitam habeant credentes. De quo loco *Cyrill. l.2. in Johann. & Augustin. Tract. 49. in Joann.* Ita sentiunt, Non omnia, qvæ Dominus fecit, conscripta sunt, sed qvæ scribentes tàm ad mores, qvàm ad dogmata putarunt sufficere. *Et iterũ*: Electa sunt qvæ scriberentur qvæq; saluti credentiũ sufficere videbantur. *1 Cor.iv.* Paulus expressè vetat sapere supra id quod scriptũ est. *Deut.iv,2.* Verbo scripto & consignato à Mose *Deut. 30.* prohibetur vel tantillum addi, & idem *Apocal.xxii.* repetitur in N.T. Unde invictè concluditur: Verbo *Tradito* præter scriptum, quod habemus, nihil esse opus. Quia *ἱερὰ γράμματα* possunt hominem reddere *ἄρτιον perfectum* ad omne bonum in Christo. *2 Tim. iii.* Et sic praxis Ecclesiæ semper obtinuit teste *Tertullian. adv. Hermog.* Doceat scriptum esse. Si non est scriptum, timeat væ illud adjicientibus aut detrahentibus destinatum. Sic illi. A qvibus qvantum degenerent Dnn. Fratres jam ii capiant, qui nondum ære lavantur.

§.38.

§. 38. *Ais: Recipis nonnullas traditiones, cur non recipis omnes Romanorum?* Ideò non omnes, 1. quia non omnes sunt Apostolicæ, sed cum Apostolis pugnant, & cum verbo scripto. 2. qvia carent consensu antiqvæ Ecclesiæ Catholicæ & Romanæ. 3. adeoqve sunt novæ, suppositiæ, incertæ & de quibus inter ipsos non constat. *Vid. Epiphan. contr. Aetium, Socrat. Hist. Trip. l.* IX. 38. *Augustin. Ep.* XXCVI. *Euseb. l.* V. *Hist. Eccl. c.* XVI. & senties veritatem. 4. quia intelligo subratione cultus & meriti partim inculcari. *Col.* 2. Olim autem admissas plerasqve esse cum libertate Christiana, dicente *Augustino*: Totum hoc genus rerum liberas habet observationes. & *Tertulliano de Coron. Milit.* Ergò quæramus, An & traditio non scripta recipi debeat? planè negamus recipiendam, si nulla exempla præjudicent aliarum observationum, quas sine ullius scripturæ instrumento, solius traditionis titulo exinde vindicemus Et *Gratiano Dist.* VIII. *Can.* 9. Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, qvid aliqvis ante nos faciendum putaverit, sed qvid qvi ante omnes est Christus, prior fecerit, Neqve enim hominis consuetudinem seqvi oportet, sed DEI veritatem. Et *Irenæo l.* III. 1. Idem Evangelium, qvod initio prædicaverunt, postmodum per DEI voluntatem in Scriptuis

puris nobis *tradiderunt*, fundamentum & columnam fidei nostræ futuram. Noli autem mihi objicere Decretales Pontificum, sed lege Nicol. Cusani Cardinalis judicium *l. III. de Concord. Cathol. cap. 2.*

§. 39. Quomodo potest igitur Verbum DEI non scriptum dari aut esse, quod cum verbo DEI scripto pugnet & illius testimonio careat? Sunt enim omnia prædicata, consignata quoque, quod supra ostendi, & *Irenæus dixit l. 3. c. 1.* Si nihil scripto addi volunt aut detrahi Apostoli, quomodo videri possunt ipsi addidisse Non Scriptum? Si crediderunt perfectum esse ad salutem Scriptum, quæ causa fuerit, cur Non-scriptum adjicerent? *Psal. 19, 8. Gal. 1, 8. 2 Tim. 3, 16. 1 Cor. 4. Joh. 20. 1 Joh. 1.*

§. 40. Cap. 7. caret Verbo, Papam & Concilia judicem esse supremum in rebus salutem concernentibus. Scriptura enim Sacra est, & Spiritus S. in illa loquens. *Heb.* IV. *Deut.* XVII. Adducunt loca *Matth. 28. Luc. 10.* Sed non intelligunt fideles omnes, omnes Pastores, sed Romanos solos. Christus promisit Spiritum S. & ejus ductum in Veritate *Joann. 16.* cum conditione *Joh. 8. 15.* si mansuri sint in sermone ejus. Qvum igitur in

eo non manserint, cœcos futuros *Matth.* 15. lapsurosq; in omnem πλάνην & futuros esse Antichristos. 2. *Thess.* 2. Promisit autem id omnibus fidelibus *Esa.* 54. 13. futuros esse θεοδιδάκτους. *Joh.* 6. 45. Singuli autem errare possunt. *Gal.* 4. *Actor.* 10. Ergo judices esse non possunt. Judex enim in rebus fidei debet esse talis, ut falli non possit nec fallere. Hoc autem competit non nisi DEO & Sp. Sancto. Ejus autem interpretari est legem, qvi eam tulit. Si qvis pronunciare sententiam debet inter homines, secundum legem, ex lege, ad legem id tenetur facere, qvantò magis in divinis, qvæ non nisi ex verbo habet, aut intelligit. *Esa.* 8. *Deut.* 17.

§. 41. Ἀγραφον est illud distinctiunculæ genus, *aliud esse legem, aliud judicem.* Scriptura hanc differentiam in Verbo DEI non agnoscit. Verba Christi judicant *Joh.* XII, 48. Sermo DEI χριτικὸς *Ebr.* IV. Non est fas, judicari legem DEI ab homine, ait *August. de ver. Relig. c.* XXXI. Et *Ambros. de fide ad grat. cap.* V. Noli Arriane ex nostris æstimare divina, sed Divina crede, ubi humana non invenis. In V. T. Sacerdotis erat, pronunciare ex lege scripta, & id quidem in Concilio *Deut.* 17. Si perpetuum habent Papæ ductum Sp. Sancti, cur sæpe sunt hæretici,

Epicuri

Epicuri, magi & harioli? Et id tamen historiæ testantur. *Vid. sup. Arg. 11. Sect. 1. Memb. 2.* Breviter. Ingeniosa hic video, vera non deprehendo.

§. 42. Sine Scriptura & contra eandem cap. 8. à nobis requirunt, *ut designemus, Lutheranam Ecclesiam verbum* DEI *prædicantem & Sacramentis utentem ante Lutherum*? Nam 1. pertinet illud ad *Μωρὰς ζητήσεις*, & *γενεαλογίας* Pharisaicas. *Tit. 3.* Imitatur degeneres 2. clamantes templum Domini, semen Abrahæ. Deinde, jam supra demonstravimus, successionem cathedræ non constituere Ecclesiam. Nostram doctrinam esse Apostolicam, Catholicamque, qua & ab initio fideles & à prædicato Christo credentes æternum servari sperarunt. 3. in Majoribus sub Papatu gementibus. *1 Reg.* XIX. in infantibus, in simpliciori-bus. *2. Tim. 2.* Fuisse autem perpetuo tales docent *Centuriæ Magdeb.* per omnia secula, & *Catalogus Testium ver. & Gerardi Conf. Cathol.* & in *Anti-Lesio Meisner.* & in *Myster. iniq. Mornæus.*

§. 43. Nam quod gloriantur Dn. Fratres, Romanam Ecclesiam primis 500. post C. N. annis fuisse visibilem Christi Ecclesiam cum Episcopo suo, nec simpliciter verum est, nec il-

rum ea, sed nostra, qua vera est jactantia. Utinam hodierna illa esset! Non enim qværitur qvalis olim fuerit, sed quæ nunc sit. Non enim illis seculis docebatur, Hominem suis operibus coràm Deo justificari, suis viribus posse implere legem, scripturam subjacere Papæ & Romæ, esse fabulas Æsopi sine Ecclesiæ Romanæ auctoritate. *Hos. l.* III. *de script.* Nullam hæresin posse per solam scripturam refutari, Papam esse caput Ecclesiæ, Cœnam sub una esse administrandam, Missam esse sacrificium ἱλαστικὸν & satisfactorium, Sacramenta conferre gratiam ex opere operato, indulgentias vendi posse pecunia, Hominem satisfacere DEO posse pro pœnis temporalibus & æternis, Sanctos esse invocandos, Mariam esse Mediatricem, imagines esse colendas & cœtera infinita. Ostendant ergò nobis, quando Ecclesia Catholica sic docere cœperit, & designabimus illis Ecclesiam nostram verè esse antiqvam & Apostolicam.

§. 44. Quæ adducunt *Cap.* IX. sunt ἀγραφα. Nam quæ citant dicta scripturæ, semper volunt intelligi de cœtu Romano & Papa. Illa autem loqvuntur 1. de universa ecclesia. 2. de singulis ejusdèm civibus. 3. cum conditione 4. certo respectu. Dequibus *vide superius.* Quæ

Quæ autem ipsi afferunt, praxi quotidiana Romanorum refutantur in horas. Nam quis hodie tam cœcus est, qui non videat, Romam errare, Papam & Tridentum? Quorsum ergò molles argutiæ duris dogmatis? Nemo tibi credet, Zoile, nemo mihi. Experientia vincet. Velim autem verba *Joann. Apoc. 2, 5.* & vocem Christi verè paternam legant & sequantur, & excutiant pulverem illum terrestrium meditationum tandem! γένοιτο.

§. 45. *Cap. 10.* Thesis illa ἀγραφος est; *Roma est una, Sancta Catholica Ecclesia, & qui cum eâ non facit per omnia, is est hæreticus & deserit unitatem fidei salutaris.* Nam 1. probat seipsam per seipsam, hoc modo: Romana est Una fide, quia nunquam mutavit fidem. Hoc autem controversum est, & mutasse fidem, dies docet. 2. Inflectit Scripturam ad domesticum testimonium. Nam *Joh.* XIII, XVII. loqvitur Christus de Unitate fidei, qvæ est in spiritu & veritate *Joh.* IV. illi accipiunt de Unitate externa qvæ est civitatis propria & communis cum hæreticis, *1. Joh. 2.* Qvod ipsum infringunt illa verba statim adjecta: *Sicut Tu in me.* Qvi autem sermonem Christi servat, is credit in eum, qvi in eum credit, is manet in illo & Christus in ipso. Jam qvâ scientiâ ac

fide potest hoc accipi de perpetua visibili Unitate cœtus alicujus ita, ut sit signum manifestum congregatæ sub Unum Caput concionis, idqve visibile, Monarchicum, qvemadmodum est societas in republ. Veneta?

§. 46. Contrarium sume, & habes veritatem verbi. Qvi ab una fide deficit, *Eph.* IV. is deficit ab Unitate Ecclesiæ, qvæ fide continetur; Qvi deserit unum DEUM & Caput Unum Ecclesiæ Christum, & statuit sibi Verbum & Caput ex suo sensu, qvi ab uno baptismo & Sacramentis recedit & fabricat sibi sua, is non est una Sancta Catholica DEI Ecclesia. Hic sisto. Subsumat qvi volet. Hoc scio, de Lutheranis verum id non esse.

§. 47. *Amplius.* Neqve sancta potest dici Ecclesia Romana, ne sanctitate miraculorum qvidem. Non enim particeps est ejus Ecclesiæ miraculorum, cujus fidem miracula causantem abjecit. 2. Competit Universæ Ecclesiæ, cujus fidem qvi profitetur, miracula qvoqve habet. Roma autem est particularis. Non potest ergo idem sibi soli vindicare. 2. Attingit Ecclesiam electorum, qvæ rugam & maculam non habet, servit DEO in sanctitate, in omni conversatione sancta. *Eph.* V. *Luc.* I. 1 *Petr.*

I non

i. non nititur sua sanctitate sed Christi. *Rom.* III 25. Qvæ igitur sanctitate operum suorum, sua impletione legis, sua justitia sancta esse cupit, non potest esse Sancta Christi Ecclesia. Qvid autem si talis licet sit, habeat miracula? Adi locum 2 *Thess.* II, 9. *Matth.* VII, 24. 2 *Tim.* III, 13. Hoc vero planè miraculum est, qvod *Machiavell. l.* III, *Hist. Florent.* scribit, Miracula nova pugnare cum antiqva religione. & *Guicciard. l.* 2. *Hist.* Ecclesiæ Romanæ statum prorsus ab antiqvis moribus defeciisse, Et *Pic. Mirandul. Orat. ad Leon.* X. Pietatem in superstitionem procubuisse.

§. 48. Num tu sanctum Caput Ecclesiæ habes, cujus Papa Gregor. VII. Sacramentum in ignem conjicit? Sixtus IV. Elevationem hostiæ ad tesseram sanguinariam adhibet in bello Mediceo? Victor P.R. in calice venenum haurit? Johannes XXIII. animæ immortalitatem non credit? Silvester. 2, Diabolo homagium facit? *Joann.* XII. Diabolum in alea invocat apud *Luitprand. VVerner. in fascicul. Temp. in append. ad Concil. Constant. Politian. de Conjurat. Pactian. Volaterranum* &c. Plura vide talia apud *Sutliv. de P.R. lib. V. c. 18. 19. 30.* Piscis à capite fœtet.

§. 49. Nec Catholica 1. ratione loci. Non enim est totius orbis sed Romæ, adeoqve Particularis. 2. fidei. Non enim credit, qvod καθόλου Universa. 3. Catholicam Credo, hanc palpo. Catholica νοήσει vult intelligi. Nec postremo Apostolica. 1. Hæc enim Fide, illa oculo hauritur. 2. Non est exstructa super fundamentum Apostolorum, sed eo destituitur. 3. Pugnat cum Doctrina Apostolica, quæ est regula Ecclesiæ secundum qvam incedit. *Gal. VI, 16.* Illa autem ambulat in via Appia, & semitis Paparum. Concludo cum *Tertulliano de Præscript. adv. Hæret.* Communicamus cum Ecclesiis Apostolicis, qvia nulla diversa doctrina. Hoc est Testimonium Veritatis. Illis vero (*Romanis qvoqve*) & Scripturarum & expositionis adulteratio est deputanda, ubi diversitas tenetur doctrinæ.

§. 50. *Cap.* XI. Totum est ἄγραφον. Caret enim & Promissione Christi & Mandato, & deniqve institvto. *Matth.* XVI, XVIII. dicta Petro dicta sunt omnibus Apostolis & ejus successoribus in officio & doctrina *Joh.* XX. 2. Non tangunt Papam & Concilia ejus. 1. quia constituunt unum, Ea autem potestas data est omnibus in orbe terrarum qvaqva versum docentibus. 2. quia etsi concedatur Petrum fuisse Romæ

mæ Episcopum ea lege ac statu, quo hodie est Papa, quod tamen cum historia sacra directè pugnat, *1 Pet.* v. *Act.* xi. *Gal* 2. *1 Cor.* iii. *Luc.* 22. tamen à successione in doctrina ad successionem loci, & ab hac ad illam N.V. Consequens. Τὸ ᾧ ὁμόζυγον καὶ ὁμόθρονον, τῷ ᾧ ἀντίδοξον καὶ ἀντίθρονον, suprà diximus.

§. 51. *Cap.* xii. Scripturæ consentaneum est, ordinem servare. Non enim DEUS confusionis auctor est. Et in Ecclesia quoad cultum etiam externum omnia debent fieri κατὰ τάξιν. Non ergò rejicimus ordinem & decorum quod servatur ex instituto Christi & Apostolorum. *Matth.* xxiii. Sed dominationem Regiam & Monarchiam Papalem simpliciter ejuramus. *1 Pet.* v, *v.* 3 Ubi legis verba clara & omnem argutiam elidentia confestim.

§. 52. Astruitur Purgatorium sine verbo DEI. Caret 1. testimonio omnis scripturæ, tàm V. quàm N. T. At illi allegant locum *Matth.* xii. Sed hunc statim explanabat *Marcus* & *Lucas cap.* iii. & xii. per φράσιν συνήθειαν, *Non remittetur, Non habebit remissionem in æternum.* Locutio igitur scripturæ locutionem evolvit. Non enim exterebrandum est dogma contra scripturam è scriptura, quod est hæreticum, sed quod cun-

qve adversatur illi perillam jugulandum. *Hilar. l. 1. de Trin.* Sic nobiscum & cum Luca ac Marco meritò expositum *Hieronymus* in C. XII. *Matth.* Nullo tempore remittetur. Et *Augustin. cap. 3. Enchir.* Hic est omnis remissio peccatorum.

§. 53. Deinde locus *1 Cor. 3.* nullatenus probat purgatorium. Seqvetur enim, in qvocunqve loco scriptura ignem nominat, ibi loqvi de purgatorio. Qvo puerilior error vix datur. 2. Inter Doctores Purgatorii non satis convenit, qvod judicium est privati inventi. Augustinus qvoties mutat? Vid. *libr. de fid. & oper. c. XV. Ambros. in h. l. Hieronym. adv. Jovin. libro 2.* Nec de loco, nec de pœnis una est sententia, qvod prolixè legis apud *Sutliv. l. 1. c. 1. 2.* Non autem, ipsis testibus, est illud dogma Catholicum, quod non unanimi consensu ab omnibus, Ubiqve & semper traditum est. 3. E loco *Phil. 3.* sic inferunt: Dantur inferi. Ergò illi sunt Purgatorii incolæ. Quid ineptius? Paulus autem isthic volebat tantum describere Christi potentiam super omnes creaturas, ex *Esaiæ cap. 45.* Mihi flectetur omne genu! Hinc *August. de Gen. ad Lit. Libr. XII.* cap. XXXIII. intelligit, Cervicem duram Dæmonum. *Theophyl. & Chrysostomus & Oecumen. h. l.* Dæmones. Qvid autem juvat litigare de Purgatorio & ridere infernum?

§. 54.

§. 54. *Cap.* XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. Carent verbo DEI & ejus Præcepto, Promissione ac Exemplo omni penitùs. 1. Jubet orare pro vivis, non defunctis *Jacob.* v. *16.* Adducunt locum *Maccab.* 2, *12.* Diu multis viribus responsum est. Sed pertinaci tàm deest, qvod habet, verum, qvàm qvod non habet. Nam locus est Apocryphus, teste *Hieronymo in Prolog. lib. Sap.* & *Gregor. Moral.* XV, *17.* & *Augustin. l. 2. contr. Gaudent. cap.* XXIII. secundò, constat e contextu Judam magis solicitum fuisse de milite adhuc vivo, qvàm de jam occiso. Timebat enim, ne & iste exscinderetur. Adeoqve pro superstitum non mortuorum salute sacrificium procurabat. *Deut.* XXI, 6. 7.

§. 55. Amplius. Ex loco *Zachar.* 1. & aliis non infertur legitimè: *Angelus orat pro Ecclesia, Ergò est adorandus.* Caret autem hoc Scriptura & ei contradicit. Tertiò Afferunt locum *Rom.* IV. *15.* At nos habemus legem: *Domino DEO tuo soli servies. Matth.* IV. *Exod.* XX. *Deut.* VI, 14. *Esa.* 42, 45. Habemus exemplum Angeli: DEUM adora *Apoc.* XIX. Mox producunt *Gen.* XIX. *Lothum & Jacobum.* Et *Jud.* VI. & XIII. & *Gen.* 48. Nos autem distinctè tenemus, Angeli voce notari Filium DEI Patriarchis sese illa specie manifestantem, neqve id

Romani

Romani ipsi negant. *Gen.* XIX. dicit Angelus: *Suscepi preces tuas.* Hoc autem est solius DEI. Neqve enim pœnam minister mitigare potest, qvam Dominus dictavit. *Gen.* 48. Jacob adorat Filium DEI, Angelum Fœderis. Non enim est creati Angeli, posse benedicere, & præcipuè illi semini è qvo Christus erat oriturus, semen benedictum. 2. Non est Angeli creati, *Eruere de cunctis malis.* Nam hoc proprium est unius DEI. *Psalm.* 50, 91. *Esa.* 40. Tertio, Jacobus ibidem adorat DEUM directa prece & intentione, ab coqve petit, ut Angelum custodem mittat in præsidium puerorum v. 15. 16. Elige utrum malis.

§. 56. *Pergunt & afferunt locum Apocal.* 1. 4. Sed nec ibi mandatum extat. Sine eo autem expresse dato in cultu adorationis nihil novandum. Extant enim clara jussa de uno DEO colendo & adorando. 2. Dicimus, Joannem hæc ita conjungere uti Paulus fecit 1 *Tim* v. Inde tamen non seqvitur, Ergo sunt invocandi. Vel, capi id posse de Spiritu Sancto, qvi collocatur in medio, qvia concurrit in opere sanctificationis fidelium cum DEO Patre & Filio *Joh.* 14, 23. Numerus autem septenarius in libro isto mysticus & solennis est. Ut ita septiformis ibi gratia Spiritus Sancti insinuetur

qvam

qvam Joannes Ecclesiis comprecatur, dicitur-qve aliàs χάρισμα, χαρίσματα, χάρις θεῦ.

§. 97. Conclusio est ἀγραφος: Angeli *sciunt hominum preces. E. sunt invocandi.* Hoc autem è verbo DEI sequitur, *DEUS solus novit corda. E. solus est adorandus.* Est enim invocandus in Spiritu *Joh.* iv. Vide *1 Reg.* viii. Et qvid multa? *Psalmus* lxv. 3. soli DEO preces exaudiendi potentiam tribuit: *Tu* exaudis preces *ideò* venit ad te omnis caro. DEUS exaudire valet. Ergò. Ac proindè excluduntur illic qvicunqve alii.

§. 58, Sed age audiamus Dnn. Fratres. Probant assertionem suam, sed consequens non confirmant. Allegant locum *Gen.* 48. & respondimus. Nunc addunt *Psalm.* cxxxvii. Ubi clare Rex loqvitur de Hymnis & Psalmis & instrumentis eucharisticis & de servis ac ministris DEI hominibus *Psalm. 116. 132.* Adjiciunt *Luc.* xv. Non impugnamus, nisi illationem falsam, qvæ est talis: Angeli gaudent super peccatore resipiscente, E. sunt invocandi. Placetne ingenium?

§. 59. *De reliquiis Sanctorum* venerandis cap. 19. qvæ laudant testimonia Verbi aut pertinent

tinent 1. ad vivos *Act. 19. 5. Matth. 9.* & tunc ad speciale promissum *Marc. 16.* Aut *Secundo* ad Mortuos *2 Reg. 13.* Et ibi nulla litera adest, qvæ commendet, præcipiat, aut hortetur & invitet asservare ostentare, venditare, adorare & nundinari reliquias sanctorum. Caret ergo & hoc omni Verbo DEI. Neqve enim qvæ singularia sunt & extrà ordine, ordinaria & vulgaria reddi debent præter expressam Scripturam.

§. 60. *Imagines adorandas esse*, Scriptura non testatur, qvocunqve id modo fiat. Nam DEUS etiam hic præcavit *Exod.* xx. & certè si non licet adorare vivos aut Angelos, qvantominus statuas & imagines. Qvod reponunt de Idoli & imaginis distinctione, ducenties explosum est. Nam imago qvæ ad cultum proponitur DEO soli debitum, idolum fit, & nihil in mundo est.

§. 61. Afferunt autem Verbum, qvod videamus. *Jos.* VII. *2 Reg.* VI. Habebant illi præceptum de præsentia DEI ad Arcam tanqvam Typum Christi ἱλαστηρίου. Non ergò Arcam sed DEUM honorabant; De imaginibus præceptum non habemus. Porrò. *Num.* XXI. *Joann.* 3. Serpens æneus non legitur adoratus aut honoratus. Solus aspectus à DEO imperatur & conce-

conceditur. *v.* 6. deinde Serpens ille Præceptum DEI habebat, Imagines Romanorum non habent.

§. 62. Citant *Psalm.* 99. *v.* 5. Dico 1. קדוש הוא Latinè sonat non Sanctum, sed Sanctus ille. Quod tamen non urgeo. 2. ajo DEVM se isti loco tunc temporis quasi alligasse promissis multis *Esai.* XXVII. *Psal.* CXIX. CXXXII. *Joh.* IV. Nec tamen scriptura dicit, Scabellum fuisse adoratum, Terra in qva stabat Moses sancta erat, ergone adoranda? Si dicerem, in monte Sion vel ad montem Sion adorabo DEUM, possumne inde argui, Montem adorasse? Omnia lubrica. Paupertinæ fidei est, corradere segmenta, & defendere veritatem suam ficubus.

§. 63. Seqventibus *Cap.* XXI. XXIII. XXIV. &c. perfugium damus & ad suos dimittimus. Qvare ad *Cap.* XXVIII. de indulgentiis descendimus. Θέσις illa est ἄγραφος: Hominem satisfactione pro peccatis mereri posse remissionem pœnarum temporariam & æternam eamqve dispensare Papam solum posse, accepto pretio. Nam loca *Matth.* 16. *Joh.* 20. Non Papæ, sed Petro, non huic soli, sed omnibus veris Pastoribus scripta sunt. Nomen autem

satisfa-

satisfactionis cum tota re ἄγραφον est, & oritur ex Antiqvæ Ecclesiæ pia consuetudine, qva communioni fidelium scandalo affectæ tenebatur transgressor sese ad lacrymas & ostia ac preces sistere donec reconciliaretur. Hoc avaritia Romana arripuit & procudit inde novum articulum fidei. Vid. *Casaub. Exercit. adv. Baron.*

§. 64. Hæc hactenus. De sequentibus idem est judicium. Nam qvi semel veritatis fines est hac audacia transgressus, qvid ab eo imposterum speres sinceri? Quamobrem ad Membrum secundum properamus in eo qvæ restant ventilaturi breviter κατὰ τρόπον ἐλέγχε.

# MEMBRUM SECUNDUM.

## MOTIVUM PRIMUM.

### Pugnant cum verbo DEI.

§. 65. Idqve tribus modis: *Forma, Materia*

teria & *fine*. Sive, Disposítione, Argumentis & Effectu, qvi est, deceptio. *Matth.* XXIII. Et qvidem hoc *Primum* cum scriptura pugnat τῆς ἀληθείας. Verbum Domini jubet procedere κατ' ἀναλογίαν πίστεως. *Rom.* XII. Hæc πίστιν pervertit. Verbum jubet veritatem ex animo loqvi qvemqve cum fratre suo, illi στρεβλοῦσι, pingunt, incrustant falsum & propinant conscientiæ. Sic & agitur cum Argumentis. Ea esse debebant spiritus & veritatis, nunc sunt ἰδίας ἐπιλύσεως, Pharisaica, humana, σαρκικὰ & γράφα. De qvibus huc usqve. Nunc igitur ἀντίγραφον restat. ξυνθεῖν.

§. 66. Ἀντίγραφον est, *Excludere à sensus veri Scripturæ intellectu singulos cives Christi*, Et *alligare eum ad certi loci & cœtus successionem aut eius Conciliorum*. Nam Scriptura contrarium indicat. *Deut.* IV, XVII. XXX. XXXI. *9.10*, *11. Esai.* VIII, LIV. Christus remittit omnes & singulos ad Scripturas, jubet legere, objurgat nescientes, increpat arcentes à verbo, & horribile fulmen *Væ vobis* intonat. *Joh.* V. *Luc.* XIX. *Matth.* XXII. *Marc.* XII. *Luc.* XI. Apostoli laudant Berrhoenses *Actor. 17.* Timotheum *2 Tim 3.* jubent asservare qvæ didicimus, attendere lectioni,

probare ſpiritus, tenere qvod bonum eſt, *1 Joh.* IV. *1 Theſſ.* V. Ajunt ſpiritualem omnia dijudicare, adhærere ſermoni *2 Pet. 1. 1 Cor. 15.*

§. 67. Ἀντίγραφον eſt, *concludere inde, Abſurdum eſſe tollere diſciplinam Eccleſiæ, aperire feneſtram hæreticorum licentiæ.* Nam ſi hoc verum eſt, blaſpheme ſeqvitur, Deum, Chriſtum, Apoſtolos & Prophetas totamqve Eccleſiam Catholicam eadem monſtra docuiſſe. Teſtimonia doctorum ſuprà vide *Membr. 1. Sect. 2 Argum. 2.*

§. 68. Pugnat porrò cum DEO & ejus auctoritate, qvæ eſt, credere ei propter ipſum. Negant autem hoc, qvi ſtatuunt non eſſe ei credendum niſi quatenus Roma explicat. Qvæſo vos, ejurate hoc dogma, qvotqvot DEI eſtis! Erunt omnes θεοδίδακτοι, ait Dominus, παποδίδακτοι, ait Roma. In Scripturis invenietis vitam, ait Dominus, in expoſitione Romæ, ait Papa. Juſtus fide ſua vivet, dicit Dominus, Fide Romana, dicit cœtus iſte. Nec tantum hæc dicunt, ſed ſubtiliſſima incruſtatione tanqvam rotæ intruſas ſeqvelas inde extorqvent miſerrimas, cum qvis ex Scriptura loqvitur. Viderint, qvi ita agunt, an non hoc

hoc sit, extinguere Spiritum Sanctum & ἀντιπνεῦν motui ejus

§. 69. Ἀντίθεον est, dicere, *Canonis constitutionem habere autoritatem & ejus auctoritatis testimonium à Papa.* Habet enim à Deo & Verbo adeoqve in se *Heb. 12. Eph. 2, Gal. 1. Gal. 3.* Testimonium tamen custodiæ & Doctrinæ Catholicæ Ecclesiæ relinqvitur. Vid. supra *Memb. 1. Sect. 1. & 2.*

§. 70. Ἀντίγραφος est, statuere *Pluralitatem sentientium in Ecclesia indicium esse qvod tota illa Ecclesia sit falsa.* Contrà Christus: Oportet venire scandala. *Matth. 18.* Oportet hæreses *inter Vos* esse, Paulus *1 Cor.* XI. Idem, ait, schismata esse in Corinthiaca, Lupos venturos in medium Gregis post discessum suum, antichristum sessurum in Templo DEI, non in stabulo boum aut vaccarum *2 Thess. 2. Actor.* XXII. Christus ait, Zizania seri in Ecclesia. Joannes, Hæreses nasci in Ecclesia. *1 Ep. 2, 19. Matth.* XIII. Sic & *Actor.* XX. Ex vobis ipsis exurgent Viri perversa loqventes. Hoc videre satis semper Catholici Doctores, qvorum hâc de re sententiam rotundo ore exprimit Hilarius *contr. Auxent.* Malè vos parietum amor cepit, malè Ecclesiam DEI in tectis ædificiisqve

veneramini. Anne ambiguum est in iis Antichristum esse sessurum? Montes mihi & silvæ & carceres & voragines sunt tutiores. *Add. Augustin. de Unitat. Eccles.*

§. 71. Pugnat denique cum verbo DEI *Fine.* Seducit enim simplicem conscientiam, & infirmos fide 1Dum in altitudine humanæ sapientiæ ac styli argutia involvunt omne falsum contrà Paulum *1 Cor. 2. Eph.* IV. 2. Subtilibus fabulis, quæstionibus curiosis & genealogiis Pharisaicis, ac μωθανολογίαις vanæ Philosophiæ cæterisque veri cerussis inlaqueos induunt legentes. Verbum autem requirit à Doctore, δύναμιν Θεᾶ, ταπεινοφροσύνην, ἀλήθειαν, πᾶσαν βελὴν Θεᾶ *Actor.* XX. *1 Cor. 1. & 2. 2 Pet. 1, 16.* ubi caussa adjicitur illicò, Ne Fides hominum sapientiæ humanæ insisteret, sed DEI Potentiæ quæ est verbum ejus *Rom. 1, 16.* quemadmodum potentia πλάνης est stylus Colonienses. *2 Thess. 2.*

MOTI-

# MOTIVUM SECUNDUM.

## Pugnat cum verbo DEI.

§. 72. Qvia statuit 1. A testimonio humano ad Divinum in in qvisitione fidei firmiter concludi. 2. Alligat Ecclesiæ veritatem ad successionem localem Episcoporum. 3. Testimonium Verbi de Christo & Ecclesia postponit Romano.

§. 73. De Primo jam suprà actum *Sect. I. Argum. I. Membr. I* Verbum enim DEI testis ipsummet sibi est, Dicit Dominus, ego Dominus dixi, *1 Tim. I, 15. III, 1. IV, 9. 2 Tim. II, 11. III, 8.* DEUS autem non est homo, nec consvetudines ejus, viæ humanæ. *Esai. LV. Num. XXIII. Rom. XII.* Deinde Christus negat, Se testimonium accipere ab homine, dicit, Majus testimonium habeo qvàm Joannis illud *c. 4. Joann.* Ipse est μαρτυρία ὁ πιζός. *Apocal I. Esai. LV.* Ecclesia autem Catholica doctrinæ ejus testimonium perhibet, non ut constituat Canonem, aut Verbo auctoritatem, sed ut illa mundo magis innotescant *Joann. XVII, 23.* testatur ex lege &

ge & ſcriptura. *Actor.* II, 17. 25. 34. III, 23. IV, 11. 25. VII, 2. 3. & ſic ubiqve. *Actor.* X, 42. 43. XIII, 32. 38. 47. Cuſtodit *Rom.* III. 2. Confitetur *Apocal.* II, 13.

§. 74. Secundum, Contrariatur naturæ Novi T. & Evangelii. *Joh.* IV. 23. Non in *Monte hoc Malach.* I. In omni loco. *Matth.* XXVIII Omni creaturæ. *Gal.* 3. *Coloſſ.* 3. Cum prædictione Chriſti *Joh.* 4. in ſpiritu & veritate, non in certo hoc loco. *v.* 23. Cum admonitione ejusdem *Math.* 24. Ecce *hic* eſt, Vos autem nolite credere. Cum ejus increpatione. *Johann.* 7. Ubi ſemen Abrahæ non eſſe ſucceſſores Abrahæ ait, ſed ſemen Diaboli. *Rom.* IX, 6. *Gal.* III, 7. Cum Pauli exemplo, qvi dicebat, ſibi ſucceſſores fore Lupos. *Actor.* XX. cum Petri 2 *Pet.* 2, 1. Cum experientia *Eſa.* 56. *Jerem.* 6. *Ezechiel.* 32. Tempore paſſionis Chriſti, Apoſtolorum & ſic in ſeqventibus. *Hieron. Ep.* 1. ad *Heliodor.* Non ſunt ſanctorum filii, qvi loca tenent ſanctorum. *Nazianz. Orat. in Athanaſ.* Τὸ ἀνῆκ. δοξον καὶ ἀνῆκ. θρονον. *Gregor.* XIII. *Diſt.* 40. *Gregor.* M. I. 6. *Ep.* 5. In Antiochena Petro ſuccedebat Samoſatenus. In Alexandrina Marco Arrius. Romæ Petro Marcellus idololatra & alii, de *qvib. ſuperius.*

§. 75.

§. 75. *Tertium* pendet à Primo. Qvamobrem nihil addo, præter hæc pauca. *Iren. l. 4. contr. Hær. c. 43.* Adhærere oportet his, qvi Apostolorum doctrinam custodiunt. *Tertull. Præscript. Adv. hæret.* Ipsa doctrina eorum cum Apostolica comparata ex diversitate & calliditate sua pronunciabit non esse Apostoli neqve Apostolici Auctoris. *Augustin. de Un. Eccl. c. 10.* Nemo mihi dicat, qvid dixerit Donatus aut Parmenianus, qvia nec Episcopis Catholicis consentient, sicubi falluntur *(Ergò falli possunt)* ut contra Canonicas scripturas aliqvid sentiant. *Alfons. de Castro l. 1. adv. Hæres. c. 8.* Veritas scripturæ est Catholica non propter testes, sed propter se, & non qvia Ecclesia recipit, sed qvia defendit & revelavit. Abi nunc mi *Romane*, & qvære cretas, fucos ac cerussas mollissimas pulcherrimasqve, qvibus pingas ac ornes falsitatem tuam. Τὸ ἀληθὲς γυμνὸν ἄριστον.

# MOTIVUM TERTIUM.

## Pugnat cum verbo DEI.

§. 76. Qvia autem hic, qvod supra *Sect. 2. Motiv. 1.*

2. Motiv. 1. tetigimus, nihil novi affertur, sed vetera Romæ argumenta artificiosè exornantur, operæ pretium erit detergere cretam ne qvis decipiatur Glyceræ splendore. Ideoqve perstringere visum est omnia 73. capita, & qvomodo cum DEI testimonio pugnent sive picta sive nuda, tanqvam in tabula ὡς διὰ ἐγχυς ostensum ire.

§. 77. Igitur 1. ἀντίγραφον est, Verbo Scripto addere Non-scriptum. Pugnat enim cum verbo DEI *Deut. 4. Apocal. 22.* cum perfectione Scripturæ. *2 Tim. 3. Joh. 20. Joh. 5.* Negare 2. Scriptum esse solam regulam fidei pugnat cum *Esa. 8. Num. 21. Joh. 20. 2 Tim. 3. Gal. 6.* Admittere 3. Traditiones verbo scripto non comprehensas, eiqve contrarias, pugnat cum *Deut. 4. Apocal. 22.* Controversiarum judicem 4. præter verbum scriptum facere Romam pugnat cum *Joh. 12, 13. Heb. 4. Jacob. 4. Esa. 33.* cum privilegiis Ecclesiæ N. T. *Esa. 45. Joh. 6. 1 Thess. 5. 1 Joh. 4. Matth. 7. Act. 23.* Ecclesiam 5. instar Civitatis Venetæ perpetuò in oculos incurrere sub capite Monarcha constitutam, pugnat cum *1 Reg. 19. Jerem. 6. Ezech. 22. Matth. 23. 2 Thess. 2. Apocal. 12. 17.* Talemqve errare non posse, cum iisdem locis pugnat. 6. Romanam esse sanctam, unam, Catho-

Catholicam pugnat cum verbo DEI, cum praxi, cum experientia illius *de qvo supr.* Petrum 7. fuisse Principem Apostolorũ & totiꝰ Ecclesiæ Monarchã pugnat cum *Luc. 23. 2. Pet. 3.* Vocatione Apostolorum omnium, qvi sunt Δᾶλοι & σύνεργοι Θεῦ. *Rom. 1, 1.* Purgatorium esse 8. pugnat cum *Psalm. 6, 30. 115. 127. Eccles. 9, 11. Esai. 57. Ezech. 18. Matth. 25. Joann 3. Luc. 23. Rom, 8. Phil. 1.* Cum hisce pugnat & Oratio pro defunctis. 9. Adoratio Sanctorum pugnat cum *Deut. 8. Exod. 20. Matth. 4. Apocal. 19.* & praxi Ecclesiæ Catholicæ Christi V. & N. T. idem judicium est de *cap. 16. 17. 18. 19. 20.* & ostendimus suprà *Memb. 1. Motiv. 3.*

§. 78. Sacramenta conferre cap. 21 ex opere operato gratiã pugnat cum dictis Fidem utentium reqvirentibus *Marc. 16. Actor 22. 1 Cor. 2. Actor. 8, 37. Matth. 3, 6. Tit. 3, 5.* Deinde, Numerus septenarius Sacramentorum pugnat cum institutione Christi *Matth. 28. Marc. 14. Luc. 22.* Cum auctoritate DEI, cui soli competit Sacramenta dare. *Gen. 17. Matth. 15, 9. Gal. 3, 2.* Sunt enim sigilla promissionum ejus 2. παρεκλικὰ ὄργανα &c, Cum Sacramentorum Essentia & natura ac constitutione. Deest ibi Mandatum, qvo corporale elemen-

tum exprimitur, deest Verbum ordinationis, deest Vox Promissionis, *Gen. 17. Matth. 26. & alibi.*

§. 79. Indulgentiæ Papales pugnant cum meriti Christi sufficientia *1 Joh. 5.* cum donorum DEI qualitate *Actor. 8,20* Transsubstantiatio Cap. 34. qvæ Anno C. N. 1215. demùm cœpit in Concilio Lateranensi pugnat cum verbis Christi Τοῦτό ἐστι. Hoc est Corpus. Tollit enim panem. Cum Paulo, qvi κοινωνίαν nominat panem & Calicem, non μετουσίαν. *1 Cor. 10.* Cum substantia Sacramenti. Mutila enim altera parte materiali terrena, qvæ est Panis. In Sacramento autem non debet esse falsum; at si substantia Panis desit, erit falsitas in accidentibus, ait *Ambrosius & Scotus.* Cum testimonio Ecclesiæ Catholicæ & ejus praxi Justini *Apol. 2.* Cypriani *Ep. 75.* Irenæi *l. 4. adv. Hæres. c. 34.* Canone Niceno: Non tantùm Panem & Vinum Sed & Corpus ac Sanguinem Christi esse προκείμενα. Cum Augustino Sent. Prosp. Dist. 2. de Consecr. Et Catech. rudib. & ad Neophyt. Beda in 1. Cor. 10. Theodoret. Dial. 1. & 2. Chrysostomo contr. Apollon. ad Cæs. Mon. Euthymio in Matth. 26. & aliis.

§. 80.

§. 80. *Capita 36.37.38.39.40.41.* De missa evoluta è latibulis suis & verborum foliis pugnant cum Verbo DEI. 1. Missam esse Sacrificium N. T. pugnat cum institutione Christi, Τοῦτό ἐστι. Ubi est Panis & Corpus. Hæc autem DEO offerre ritu sacrificiorum caret Mandato & Ordinatione; Cum Apostolorum doctrina *1 Cor. 10.* κοινωνία non est sacrificium; Cum Sacrificiorum N. T. qvalitate, qvæ sunt Εὐχαριστικὰ *Malach. 1. Psalm. 50. 51. 141. Rom. 12. Ebr. 13, 1 Petr. 2.* Cum uno Christi eoqve perpetuo & sufficienti *Ebr. 9.10.* cui loco nulla argutia satisfecit: Cum natura Sacrificiorum, quæ sint cruenta necesse est, docente manifesto loco *Ebr. 9, 12. 14. 16. 18. 22. 25.* Cum annunciatione & commemoratione mortis Christi. *Marc. 14. 1 Cor. 2.* Cum natura N. T. qvæ omne Sacrificium Leviticum abolevit postqvam Τὸ σῶμα τὴν σκιὰν destruxit *Ebr. 10.* Non potest ergo hodiè Sacrificium esse aut tolerari.

§. 80. *Missam esse antiqvam.* 1. Antiqvitas τὸ ἀντίγραφον non potest reddere ἔγγραφον & licitum ac pium, qvod à DEO vetitum. Malitia antiqva est, & tamen non excusat hodie. Nec verum est, qvod illa hodier-

na

na Missa antiqva sit. Vix enim à seculo 8. esse incepit. Apostolicis certe seculis ignotissima fuit. 2. In loco *Actor.* 13. λειτουργεῖν non est celebrare Missam, *sed ministrare* DEO. Neqve enim uspiam Missa Pontificis in S. S. nomine λειτουργίας designata esse evinci potest. Notat enim Ministerium Divinum. 2 *Cor.* 9. *Phil.* 2. Hinc Patres *Act.* 13. exponunt κηρύττειν, Syrus & Arabs, *Orare*. Et Vulgata, per *Ministrare*, Lyra, per Ministerium bonorum operum, Cajetanus, *Docere ac prophetari*.

§. 82. Pergunt, *Missam esse auctoritate corrorobatum*. Dico cum Augustino, auctoritatem Scripturarum solam debere obtinere. 2. Sciendum, in Ecclesia antiqva ad usum cœnæ Panem & Vinum afferri solitum ad altare, donec templorum opes in hodiernam amplitudinem accreverunt. Hæc appellabantur *Dona*, *Oblationes*. Et inde vox *Sacrificii* sensim cæpit invalescere donec in Romanum adolevit, qvod nunc auctoritate se fulcit humana, cum refugit Divina. *Iren.* 1, 4. *c.* 34, 18. *Cyprian. de Eleemosyn. Serm.* 1. *&c.* Et ipse *Bellarm. l.* 2. *c.* 20. Missam longè post Apostolorum tempora cœpisse fatetur. *Platina* usqve ad Sixti IV. tempora Cœnam esse nostro ritu celebratam sine Missæ abusibus testatur. Qvas

aliàs

aliàs afferunt Apostolorum liturgias suppositi-tias esse dudum probarunt Viri Docti, & ipse Romanorum *Cassander lib. de Liturg.* & *Mornæus lib. 1. c. 2. de Euchar.*

§. 83. Nos autem suprà longè antiqviorem verioremqve auctoritatem Scripturæ & Apostolorum adduximus, Irenæi, Cypriani, Justini & aliorum *Motiv. 2. Sect. 2.* Adde qvod *Cœna Dominica, Mensa Domini, Eucharistia* & talia longè antiqviora sunt qvàm qvæ hic afferuntur contrà verbum scriptum. Non in re tanta pugnemus auctoritate humana, sed Divina, qvæ est scripturæ. *Esa. 8. 2 Tim. 3.* Id autem non est antiqvum genuinum, qvod contra venit Christi institituto. 2. Apostolorum praxi. 3. Ecclesiæ antiqvioris ad usqve seculum. 4tum testimonio. Praxis autem Apostolica & Justin. *Apol. 2.* Eulogiæ, Mensæ Domini meminerunt, *calicis, panis, annunciationis mortis Domini*, memorationis. Sacrificii, Missæ, Canonis, nulla mentio. Hoc igitur teneamus, qvod Apostolicum est, qvod Catholica Ecclesia recepit, qvod DEUS in Verbo testatur. Ἑτεροδιδασκαλίας autem *Gal. 3.* qvibus DEUS frustra colitur *Matth. 15.* fugiamus serio.

§. 84. Cap. 42, *Communio sub una*, qvæ seculo

seculo 7. à C. N. cœpit, pugnat cum verbo teste *Concilio Constantiensi Sess. 8. a. d. 15. Jun. his verbis*: Licet in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus sub utraqve specie. Ergo pugnat 1. cum instituto Christi, *Edite, Bibite, Omnes, Marc. 14. Matth. 22. 1 Cor. XI.* fatente iterum *Constant. l. cit* his verbis: Licet Christus instituerit sub utraqve specie, tamen Hoc non obstante &c. 2. Ac proinde pugnat cum mandato DEI, *Deut. 4. Apocal. 22.* Christi, Hoc facite, Hoc, inqvam 3. Cum Ecclesiæ praxi. *1 Cor. 11.* Calix cui benedicimus. *Justin. Apol. 2. Cyprian. de Cœn. Dom.* Ecclesia ad has epulas invitatur. *August. ad Oros.* Universa Ecclesia potatur sanguine Christi. *Tertull. c. 39. Apolog. de Coron. Mil c. 3. ad Uxor. l. 2. 6.* concludo ergo cum *Cypriano Ep. 68. ad Cæcil.* Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, qvid aliqvis ante nos faciendum putaverit, sed qvid qvi ante omnes est Christus prior fecerit. Neqve enim hominis consuetudinem seqvi oportet, sed DEI Veritatem.

§. 85. Cap. 43. 44. 45. vide suprà Cap. 22. *Membr. 2. Sect. 2. Argum. 2.* Seqvitur *Cap. 50.* Ἀνυπογραφον est, *Concupiscentiam in renatis non esse verè peccatum.* Pugnat enim cum Apostolo

lo *Rom. 7.* qvi agit de peccato, qvod est causa mortis. Id autem est verè peccatum. Cum Davide *Psalm. 32. 51.* 1 Joh. 1, 8. Ebr. 7, 1. Cum effectu peccati, qvi est Mors *Rom. 6.* Et sic *Ambros. de Sacrament. Augustin. l. 6. c. 8. contr. Julian.*

§. 86. Cap. 55. 56. 57. 58. 59. 60. de viribus liberi arbitrii ἀντίγραφον hoc mirè colorant, *hominem in sui conversione ex viribus suis aliqvid posse operari.* Pugnat enim cum *Rom. 8.* 2 Cor, 4, 6. 1 Cor. 14, 3. *Psalm. 51. Phil. 2, 13. & Cap. 1, 6. Ephes. 2, 8. Acter. 16, 14.*

§. 87. *Cap. 65. usque ad 73.* continent ἀντίγραφα 1. Fidem solam coram DEO justos reddere sine bono opere non posse. Pugnat cum *Joh. 3, 5. & tota Epistola ad Romanos,* 2. Bona opera esse meritoria Vitæ, pugnat cum *Job. 4. 9. Psalm. 19. 32. 130. 143. Esai. 53. Jerem. 22. Luc. 27. Rom. 8. 11. 5. 9. 3. 1 Cor. 1, 30.* Nobiscum sentiunt Thomas in *c. 4. Rom.* & *Gal. 3.* Bonaventura *l. 5. comp. Theol. c. 13. Gerson. de Verb. Dom. Venite ad me: Part. 2.* & alii inter qvos etiam est *Hosius.*

§. 88. ἀντίγραφον est, *Dubitandum esse de salute.* Nam 1. pugnat cum natura fidei qvæ

qvæ est niti certo DEI verbo & gratiæ in vulneribus Christi obsignatæ. *Heb. 11.* Est enim Fiducia *Victoria Mundi*, *Testimonium DEI in corde*, *testimonium Sp. Sancti*, *confidentia*, *certa scientia & spes*. *1 Joh. 5, 10. Rom. 8, 16. Heb. 4, 16. Gal. 3, 16. 20. Jacob. 1, 6. Phil. 1, 25. 2 Tim. 1, 10.* Cum Christi monito pugnat, *Confide, Crede, Fides Tua te servavit.*

§. 89. Ἀντίγραφον est, *Legem ab homine impleri posse.* Pugnat enim cum Christi merito. Qvod est, finis legis, qvod est, implere legem & omnem ejus justitiam, idqve cum exclusione alterius cujuscunqve *Esa. 36. 3. Rom. 10, 4. Matth. 5, 17.* Ἀ δύνατον τῷ νόμῳ *Rom. 8, 3.* Christus frustrà mortuus est. *Gal. 2. 21.*

§. 90. Atqve hæc ita brevi Elencho percurrere visum est, ut appareat, Falsitatem nullo tàm formoso fuco celari posse, qvin pelluceat ad lympham fontium Israelis. Unde nunc manifestissimum omnibus est, qvàm verè dicatur, Nos accedere ad portenta talis doctrinæ, qvæ an possint conscientiam tranqvillare aut confirmare in postremo membro videbimus.

MEM-

# MEMBRUM TERTIUM.

# MOTIVUM PRIMUM.

## Non tranqvillant Conscientiam, sed conjiciunt in angustias potius.

§. 91. Qvæ propriis iisqve humanis principiis nituntur, qvæ perverso tractatu crispantur ac colorantur, qvæ fallacibus sequelis se tutantur, qvæ Verbo DEI non insistunt sed eidem contradicunt & obluctantur; Hæccine ut in conscientia pacata tranqvillitatem conservare aut in angusta eam conciliare qveant? Nemo credit, nemo optat. Nunc igitur, qvò articulatius hæc appareant, clausulæ loco placet per singula ire, idque breviter.

§. 91. Ac primò qvidem MOTIVUM 1. non potest tranqvillare conscientiam, nisi sit ἐξ ἀδοκίμου tradita. Nam nititur 1 Fundamento mere humano 2. fallit sequelis 3.

alligat Ecclesiam & fidem ad localem successionem, ad hominis judicium. 4. Probatidem per idem, Romam per Romam. 5. Impugnat per latus Lutheranum Verbi Divini veritatem 6. Est incertum. 7. ἄγραφον. 8. Imitatur Pharisæos & cœtum malignantium, qvæ ordine *suprà* recitata sunt. Et tale sit motivum, qvo conscientia possit impelli ad capessendam religionem Romanam? Qvæ humani cordis foret illa plusqvam saxea durities & lapideus stupor, qvod non sentiat aut deceptum se, aut errore detentum, aut pressum tyrannide?

§. 93. Finge igitur Te *Nobile par fratrum*, delapsum in angustas conscientiæ lineas „ hasce: Nescio quò me vortam. Video „ qvotidiè, audio, lego ac palpo ferè in cœtu „ Romano voces de DEI Verbo blasphe„ mas in Pighio, Hosio, Costero, Pistorio, „ Bellarmino, Tridento, & tamen nisi id ha„ berem DEI gratiâ, sæpè sentio pereundum „ esse aut cedendum de campo Diabolo, car„ ni, mundo & inferno. Lego esse virtutem „ DEI, esse vivum & secare medullas, esse ju„ dicium Christi, Video multos id vere pe„ nes sese esse jactitantes, video plures parti„ culas cœtuum, video juxta Romanum il-

lum

» illũ qvoq́; , nuſqvam video Unam fidem , u-
» num ſenſum. Eqvidem Papa meus, Con-
» ciliaqve ejus regnant ſplendidè, cogunt
» qvoqve externa pompa, habent civitatem
» potius quàm Eccleſiam, tribuunt ſibi jus in-
» terpretandi Scripturas, ſed non demon-
» ſtrant mihi, id ſeſe à Deo habere, niſi ex ſuis
» domeſticis teſtibus, ex ſuo ſenſu, ex ſua ex-
» poſitione. *Ajunt mihi*, Credo qvod Eccle-
» ſia credit, & ego tamen lego, me meâ fide
» niti debere non aliena. *Ajunt*, Hic eſt Chri-
» ſtus, Eccleſia hic, templum DEI hic, ſemen
» Abrahæ hic eſt; Sed ego hæc omnia lego
» à Chriſto reprehendi & Prophetis, lego An-
» tichriſtum ſeſſurum in templo illo Eccleſiâ.
» Cui fidam? Verbo DEI an Papæ & meis Epi-
» ſcopis? *Ajunt*, ſi id doceatur, Libertiniſmum
» introduci, ſchiſmatis feneſtram aperiri; ſed
» ita DEUS qvoqve prævidit, & tamen ita juſ-
» ſit, ita aperuit, ita promiſit, lege, proba
» ſpiritus, Non adde, non detrahe, ſerva
» mandata, ſcrutare ſcripturas. Qvid faci-
» am? Aut DEUS errat, aut Roma; puto ul-
» timum & primum in hâc vita eſſe Verbum
» DEI, Roma omni exuſta aut occupata à Tur-
» cis. Neſcio qvò me vertam! DEUS miſe-
» reatur mei!

„ §. 94. Et postqvam hos morsus senti-
„ tis ac cylindros conscientiæ, judicate, utrum
„ tutius videatur, Verbo DEI inhærere & ejus
„ sensui, an Romæ & ejus hiantibus decretis:
„ Fieri certè non potest, ut conscientiæ satisfa-
„ ciat hæc locoultimi asyli ratiocinatio: Spe-
„ ro vitam apud DEUM, quia credô qvod Ec-
„ clesia Romana credit. An legis ita? Lege.

# MOTIVUM SECUNDUM.

## Turbat Conscientiam.

§. 95. 1. Qvia testibus humanis fidem annectit. 2. ablegat ad considerationes carnales. 3. Comparat DEUM cum hominum sorte. 4. Sectatur fabulas μύθους κεκαυτηριασμένους 2. Pet. 1. 1 Tim. 4 Tit. 1. Omne autem mendax vult pecti & comi. Non potest ergò qvassatam conscientiam tranqvillare, aut extinctam fidem ἀναζωπυρῆν aut mortuam excitare aut illuminare cœcam, aut τεθνεῶσαν liberare & DEO restituere.

§. 96. Ecce rem: Fluctuat Romanus aliqvis

„ aliqvis ita: Ajunt mihi, testibus Romanis
„ hodiernis in rebus fidei tuæ fide ac crede.
„ Illi nesciunt fallere & falli. Habent enim
„ Papam & ille est judex summus, infallibilis,
„ habet Spiritum Sanctum in scrinio pectoris,
„ est Vicarius Christi. At ille sæpè falsus
„ est, sæpè fefellit, sæpè cum dæmone collu-
„ sit, sæpè cum hæreticis. Hic ancora non
„ est. Ajunt, Christus usus est testibus? Ac
„ Christus est DEUS & teste homine non indi-
„ get. Apostoli tamen testati sunt de eo? sed
„ per Verbum, ex Scriptura, ad Legem & Te-
„ stimonium Verbi. Ajunt, Roma est Apo-
„ stolica, qvia Petri Cathedram habet? Au-
„ dio Christum. Sedent in Cathedra Mosis &
„ sunt cœci, simulatores, monimenta dealba-
„ ta, genus viperæum & semen Diaboli. Lego
„ locum non facere Sanctum, sed Doctrinam,
„ sed fidem Apostolicam. Producunt testes
„ per Galliam, Italiam & Germaniam Hispani-
„ amqve. Viros video, locum qvoqve, fi-
„ dem & doctrinam successisse non deprehen-
„ do. *Sentio autem contrà*, omnibus seculis
„ fuisse qui se Romæ meæ opponerent, eamq;
„ fore speluncam malorum prædicerent. A-
„ gitor, vector, jactor veluti oscillis pueri so-
„ lent. Et tamen periclitor de summa vitæ.
„ Hæ cogitationes mergunt me sæpius & tan-

„ tùm non ſuffocant. DEUS adducit me ad
„ Verbum ſuum; *Illi* ad Teſtes Romæ, *Chri-*
„ *ſtus* ait, Non in monte hoc ſed Ubique Pa-
„ tremadorabunt in Spiritu & veritate; *illi*,
„ in ſola Urbe Roma & ejus ſeptem monti-
„ bus. *Chriſtus* ait, Nolite credere dicentibus,
„ Hic eſt; *illi*, Crede tamen, Romæ eſt. *Chri-*
„ *ſtus* ait. Ego ab homine teſtimonium non
„ accipio; illi contrà, Accipit tamen à Papa
„ & Roma. Ita vivam, niſi me hi rivi Beliа-
„ lis ſæpè inundant, & oro DEUM neme
„ committat fluctibus pietatis. Et jam dic
„ qvæſo, eſtne hoc eximium Motivum ad
„ Romam capeſſendam & ejus fidem?

# MOTIVUM TERTIUM.

## Turbat Conſcientiam.

§. 96. Removet eam à Verbo DEI, applicat ad ſua opera, detrudit in purgatorium, amandat ad aliud ſacrificium præter Chriſti crucem; tollit Eccleſiam Catholicam, & ſubſtituit Romanam, tollit lucem ſenſus Scripturæ, proſternit adimaginos, Sanctos, Angelos reli-

reliqvias & talia, adeoqve omnem Christianismum qvasi convellit ac enervat. Qvid inde certi orietur & firmi?

§. 98. Tumultuatur conscientia mea: „ Qvid primum tandem aut postremum eligam? Scriptura non sufficit? qvid ergo? „ addunt traditiones. Sed eas deprehendo „ scripturis adversas. Et qvis indubitatæ fidei „ ad illas me remisit? Nemo. Roma fecit. „ At illa non fallitur. Cur? qvia Petri Cathedram habet. Unde id novit? E Scriptura. Cur ergo non video illam? Custodit „ illam scripturam Ecclesia? Ego autem sum „ civis illius. Cur non & ego testor & custodiam, nisi legam? Audis, ajunt. Audio. „ Jam & probare volebam, & tenere qvod „ bonum, At non licet. Cur non? Qvia „ non intelligo. At in V. T. in N. T. in veteri Romana omnes legebant: *Thess* 5. omnes „ intelligebant, qvibus curæ erat, Homo sum „ & Christi sum, Cur arcear à sermone Christi? *Joh.* 20. Ajunt, Papa interpretabitur & „ Roma. Bene. Et tandem ἔξεχ' ὁ φίλος „ ἥλιε. At ille sæpè contrà scripturam pronunciat. Ajunt, non capis, cœcum obedientem esse te oportet. Ero igitur & damnabor. *Matth.* 15. Et qvid tum? Docent me,

Venerari Sanctos? Non contemno sed imitor
„ fidem. Jubent adorare? DEUS vetat. Ca-
„ dam ad imagines? Faciam. Sed invocare
„ qvoqve? Non possum. Homo sum & li-
„ gno ac lapide melior. Praterea verbum
„ vetuit *Exod.* 20 *Joh.* 4. Veniam ad Mariam,
„ & Angelos? Rejiciunt ipsi ad DEUM *Apocal.*
„ 19. Illi retrahunt. Qvem sequar? Mene,
„ an Papam, an Angelum, an Deum? Ajunt,
„ Missam esse sacrificium pro vivis & mortuis.
„ Conferre mihi gratiam ex opere operato.
„ Lego contrarium *Hebr.* 7. 8. 9. Cui fidam?
„ Ajunt purgatorium esse? scriptura negat
„ *Luc.* 16. Cui bono? ut terrear & penitus pro-
„ fliger. Qværo qvid me salvet? Fides a-
„ junt & Bona opera. Qværo, in qvem, qvæ
„ fides? In Christum, respondent. In Chri-
„ stum? At ille pro peccatis meis mortuus
„ est, & sanguine suo me mundat ab omni
„ peccato. Qvor sum igitur mea opera co-
„ ram Deo? Ad vitam? Servus inutilis sum,
„ Fieri non potest, ut Homo impleam legem.
„ Non est opus bonum, qvod non implet le-
„ gem totam. Nam qvi in uno delinqvit, o-
„ mnes articulos transilit. Video sanctos
„ qveri & opera abjicere *Psalm.* 32. Ego per o-
„ pera salvabor mea, per jejunia, preces, fla-
„ gella, vota, Monachatus, rosaria, itinera &

ompes

„omnes denudationes? Me miserum! Vere-
„or, ne sic operans sine fide sim. Illa enim
„est solius Christi: Si autem ex lege justitia
„est frustra Christus mortuus est. Teneam-
„ne Christum, an mea opera? Qvid svade-
„tis, ô mei: Ajunt, opera tua non sunt, sed
„Spiritus Sancti si bona sunt. Esto. Sed me-
„rentur ne igitur vitam mihi? Vivere enim
„opto æternum. Merentur, ajunt, qvia re-
„natus es. Per qvem, vel in qvo? In Chri-
„sto. At ibi ἐπερωτήθην εἰς συνείδησιν ἀ-
„γαθὴν coràm DEO per resurgentem Chri-
„stum. Ibi consepulta est caro mea, ut in
Christo fierem novus homo. Jam si Chri-
„stus resurrexit propter justitiam meam Rom.
„4. Si justitia mea est fidei in ἀνάστασιν Christi,
„ut per eam justus sim coràm DEO, qvid me-
„rebuntur mea opera? Non habeo in hoc
„dogmate συνείδησιν ἀγαθὴν coràm DEO.
„Certè hic sentio cordis mei portas oppu-
„gnari & evolare omnem anchoram è por-
„tu animæ, præsertim cum recordor, qvod
„jubetis me dubitare de salute. Qvid hoc
„est? Jubeor credere, jubeor ex fide operari,
„& interim fluctuabo in salo miseræ spei. An
„potest hæc esse fides? Christus qværit da-
„turus sanitatem, Potes credere? Ego vi-

„ tam daturo non credam? Paulus ait, „ πέποιθα πέπεισμαι, οἶδα, Nihil me se„ parabit à Christi dilectione? Et ego semper „ jactabor vehiculo dubitationis? Habet ne „ Paulus præ me misero hic aliqvid privilegii, „ Estne typus gregis in fide qvoqve? Utiqve „ est. Cur non ergo seqvar præeuntem? ô „ miser qvanta laboro in Charybdi dignus a„ mor meliore Roma! Dicite mihi nunc qvi „ boni estis & candidi in isto cœtu, Estne hoc „ Motivum, qvo qvis possit impelli, ut fiat „ Romanus? Utinam respondeatis, Non est, „ Hoc faxit Christus Jesus, qvi pro vobis o„ mnibus & singulis ita mortuus est, ut si velit „ venire, brachia ejus expansa Crux gestet, la„ tus apertum, ut recipiat trementes & errau„ cos. Ita fiat, calidè opto. Fiat!

*Sequitur*

# ELENCHUS PRÆSCRIPTIONUM

Jan.

# MOTIVO TERTIO

**contentarum.**

§. 1.

§. 1. Qvanqvam Motiv. III. qvæ de præscript. Dnn. Fratres rhetoricantur meritò transmiserim, qvod excellentissimo Hülsemáno nihil præripiendum duxerim, visum tamen est, hæc sub finem attexere, cum hac protestatione, Citra præjudicium Ecclesiæ hac vice fieri.

§. 2. Qvod si verò sic ad Juris Civilis naturam res Fidei & Divini juris exigere perrexerimus, nihil aliud restat, qvàm ut è Theologis rabulæ fiamus, qvi susqve deqve veritate habita, soli victoriæ intenti simus inposterum.

§. 3. At res Fidei nihil minus patiuntur, qvàm tales ludos in re cœlesti. Gal. 6, 7 Qvanto rectiùs secundùm leges Divinas hanc rem examinabimus, ne illud audiamus vetus: Μὴ ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα. Æqvum est, ut qvi Christiani audire cupiunt, Christi legem sequntur. Matth. 11. Non enim conveniunt Lumen revelationis cum Lumine Naturæ 2 Cor. 6. Matth. 16. 1 Cor. 2, 14. Can. 3. dist. 1. Sneidevvin. ad jnstit. tit. 11 §. 1. Jurisdictiones autem non debent confundi l. nemo C. de Jurisd.

risd. c. pervenit. 11. q. 1. Unde patet hanc methodum contrà ipsa principia pugnare.

§. 4. Qvamobrem, pie Lector, si tui istud Motivum III. aspexeris saltim, jam tale esse videbis, ut ad convincendam conscientiam im bellius esse neqveat. Estqve planè simile eorum, qvæ suprà in ipsa Tractatione Humana, perversa, Ἀντίγραφα esse demonstravimus. Nam quicquid in rebus fidei non ex lege DEI depromitur, id omne humana Conscientia tanquam ἀδύνατον ἐλέγξαι repudiat ac contemnit. 1 Cor. 1, 17. 11, 4. 2 Cor. 1, 12.

§. 5. Sic & decem ista Argumenta, qvæ ex fontibus Juris Civilis hausta huc aspergunt Fratres, aliena sunt, falsa, dispositione perversa, pugnantia cum fonte legum divinarum per omnia. Id quod solum sufficit ultimum, Ne qvid ei tribuatur fidei. Nam τὸ ἄγραφον, hic esto ἀξέμπλον, τὸ δὲ ἀντίγραφον, ἄτοπον.

§. 6. Processus juris Divini hic est 1. Deus est summus Legislator. Exod. 20. Matth. 17, 5. Is 2. legem scriptam exhibuit civibus Christi,

Christi, ut secundum eam viverent. Esa. 8. Deut. 5. Joh. 5. Luc. 16. Matth. 17. 3. Dedit eam omnibus in Civitate Christi degentibus. Matth. 28. 4. Et jus accusandi qvemcunque à lege istâ qvocunqve tempore abducentem. Matth. 7. Ezech. 24. Joann. 10. Actor. 20, 29, 5. jussit seductos redire in semitam antiqvam qvocunqve tempore & ad veterem Legem. Jeremiæ 11, 4. 6, 16. 6. Nec ullam temporis Præscriptionem valere voluit. Jerem. 6, 16. 7. Sed in Possessionem misit ipso præcepto, Hunc audite, omnes & singulos. Matth. 17. 2 Pet. 1. 8. Potestatem fecit omnibus vindicandi verbum sibi semel concreditum, furto verò, vel dolo, vel vi ablatum. 1 Joann. 4. Joann. 10. Exech. 34 Jerem. 7. 23. Ezech. 13. 9. Sub pœna, si negligentes fuerint, damnationis. Marc. 13. Matth. 3. 1 Pet. 5. Jerem. 7. Matth. 23, 12. Luc. 11, 8. 1 Cor. 6, 9. 1 Cor. 15, 33. Gal. 5, 1. Eph. 5 6. Col. 2, 18. 1 Thess. 5, 6. 2 Petr. 3, 7. Ebr. 10, 24. 10. Prohibuit, Neqvis hunc Processum ad Carnis viam deflectat, aut deflecti patiatur. Jer. 7, 4. 9, 10. 14, 15. 1 Cor. 1, 12. 11, 4. 2. Cor. 1, 13. Col. 11, 4. 11. Sed ad solam suam legem accusationes, vindicationes, condictiones, actionesqve omnes institui præcepit. Esa 8. Deut. 11. Apocal. 22. Luc. 16. Joh. 10. 2 Petr. 1. 12. Contravenientibus infernum minatus.

Deut.

Deut. 5. & Ezech. 13, 34. Apocal. 22.

§. 7. His duodecim fundamentalibus Legibus ex ipso Codice DEI depromptis subnixi primo Lutherani Pontificios accusamus eosqve coram Ecclesia Christi & facie DEI reos peragimus invasionis, Detentionis, Corruptionis, Furti veræ legis Dei & ejus sensus ac interpretationis. Scire enim leges non est verba eorum tenere tantùm, sed vim ac potestatem. Idqve facimus ex præscripto legum Joh. 10. Rom. 2. Matth. 7. Actor. 20. 2 Pet. 2. Col. 2, 18.

§. 8. Nam in superioribus prolixè & usque ad satietatem demonstravimus corruptelas & violentiam torqvendi scripturam. Qvomodo autem possessor verbi est, etiamsi longissimo tempore se tueatur, qvi non justè possidet, qvi rapuit, Jerem. 23. qvi invasit Joh. 10. qvi detinet Rom. 1. Pontificii vero compulsivè, ablativè, expulsivè, inqvietativè violenti sunt, quod vel hæc Motiva ostendunt satis.

§. 9. Et hujus rei tot testes libri ac scripta sunt, ut numerum penè vincere cæperint. Qvi igitur nec titulo justo, nec bona fide possident,

dent, quomodo actores erunt, qvomodo præscribent? qvomodo qui contra legem nituntur, accusabunt? Actor probare debet, ne calumniari videatur; Illi nihil probant. Actor forum rei seqvi debet, illi suum. Nec testimoniis eorum fides deberur. Nam 1. sunt suspecti. 2. ex affectu deponunt. 3. contra rerum evidentiam. 4. In propria causa. 5. Sunt omni exceptione minores. 6. Sunt excommunicati Marc. 16. Jerem. 8. Zachar. xi.

§. 10. Cur igitur Lutherani (qvod isti pro fundamento struunt) non forent possessores? Qui Prophetica Apostolicâque autoritate possident. 2. voce legislatoris immissi justissimè possident. Si regerant interruptam fuisse à Pontificiis, meminerint, Animo possessionem semel apprehensam à Christianis semper hic retineri, unde & Continuata præsumitur. l. 16. c. de probat.

§. 11. Hæc praxis Ecclesiæ judaicæ, & Antiquæ Eccles. Christianæ fuit, qvæ nostra est. Ad ejusmodi verò forensium rabularum latibula qui defugiunt, forum legum divinarum detrectant, ac declinant, nituntur suo testimonio,

monio, nec jus suum nec titulum probare queunt, næ ii ab ipsis legibus Civilibus, quibus in foro DEI tamen locus nullus est, repudiari solent.

§. 12. Ex qvibus patet, quàm feliciter Præscriptiones suas Tertullianeas tueâtur Pontificii. Nam 1 Carent autoritate legis. Sine lege autem Divina in causa Divina loqui erubescere debebant. 2. Nec ab ipsa civili lege admittuntur. Nam extrà territorium jus dicendi impunè non paretur.

§. 13. Ita nempe solent cadere suo gladio Goliathi & Saules. Nos semel testamur nisi ex Divina lege nobiscum agetur, habituros talia pro tintinabulis atque crepundiis insanæ Carnis, Rom. 8. Qvomodo ergo hoc motivum erit ad capessendam religionem Catholicam, quod 1. Merè Humanum est. 2 Inane & imbecillum. 3. Alienum à foro conscientiæ. 4. Contrarium legi divinæ. 5. Repudiatum ab Ecclesia omnium ætatum. Apage talia motiva à grege Christianorum!

§. 14. Et si fortassis animi causa admittere hanc methodum in lege divina velimus, qvod

qvod tamen non lubet nec decet, satis occurreret in ipso Jure Civili, qvod absurdis applicandi modis Walenburgicis reponamus: Nam 1. Rerum qvæ in bonis haberi, qvæque possideri non possunt, & sunt commerciis hominum exemptæ præscriptio aut usucapio non datur qvales sunt Res Sacræ, Sanctæ, Religiosæ. *Zanger. de Except. & pervulgata jura.* Qvantò minus ipsa Religio, ipsa fides Christiana subibit hujusmodi ineptias Juris Civilis? 2. Adversus leges nulla annorum præscriptio valet. *l. ubi 24. ff. de usurpat.* Qvantò igitur minus adversus Divinam legem, & ejus mandata valebit ullum longum tempus? 3. Respublicæ ac bona nullam usucapionem admittunt. *l. usucapion. 9. ff.* De *usurpat. l. viam 2. ff. De via publ. l. 6. C. de præscript.* Quid autem magis commune ac publicum, quam Fides Catholica, quæ ad omnes pertinet salvandos? *Matth. 28.* 4. Contrà jura Civitatis non præscribitur *l. diligenter 9. fin. C. de aquæ duct.* At Civitas hic Ecclesia tota est, qvo jure ergò una Romana contrà jus Divinum totius Ecclesiæ præscribet?

§. 15. Qvæ tantùm ideò adduco, ut fundamentum omnium horum discursuum falsum, impium, heterogeneum, ineptum ac fi-

neum esse appareat. Et qvantæ est audaciæ hisce talibus subtilitatibus velle oppugnare conscientias? Nunc breviter perstringemus Decem Fraterna argumenta, qvibus vinci veritatem hic potuisse crediderunt.

§. 16. Ea sic enumerant, Lutheranos non posse Actores esse, qvia sunt Inimici. 2. Excommunicati. 3. Rerum ignari. 4. Illegitimi. 5. Instrumentis carent. 6. Mutata habent 7. & autoritate destituta. 8. judicem rejiciunt. 9. non habent. 10. Continuam possessionem non tenuerunt.

§. 17. Hæc sunt illa valida tormenta è castris Justiniani absurdissimo fidere huc advecta. Sed nimis invalida. Nam 1. inauditum est axioma Juris: Actor esse non potest inimicus. Nam cum omnia judicia sint contentiosa inter dissidentes, alterum Hostem esse oportet, qvi Actor, alterum defensorem, qvi Reus nuncupari solet, Unde & Militiæ & Militum voces forenses. Hinc milites armati, Togati, cœlestes in ipso Jure Civili. V. Everard. Topic. loc. 56. Nihil notius aut vulgarius. 2. Lutheraui sunt inimici Ecclesiæ Romanæ. Ergò non possunt esse Actores. Major est falsa. Minor est æqvivoca. Hoc modo

do: Inimicus in Jure Civili is esse debet, qvi ex privato affectu, odio, vindicta agit, unde talis calumniari videtur *Bald. in Authent. general. C. de Episc. & Cler.* Lutherani tales non sunt sed studio gloriæ DEI, amore veritatis, jussu magistratus accusationem instituerunt. Notum autem est, jussa magistratus vel judicis excusare, & qvod alias illicitum, facere licitum. *l. ait ff. de minor. 25. ann. Gail. l. 1. obs. 88. 4. Tit. 3, 10. Apocal. 2.* Postremo Maranta, qvem illi citant, ne verbulo hæc tangit. Qvid fidendum Dnn. Fratribus in aliis erit?

§. 18. Ad Secundum: *Excommunicati.* Dnn. Fratres ἀμφιβολογῶσι. Nam Excommunicatus Jure & Legitimè intelligi debet, si Juri Civili s. Humano sua constare mens debet, nos verò qvis Excommunicavit? Papa. Roma. Idem judex & reus, idem invasor & possessor, idem Detentor & Tonans. Jam ergò corruit hoc tormentum. Nam injustè, 2. Illegitimè, 3. Præter morem Ecclesiæ. 4. In foro domestico. 5. Non convicti excommunicati sunt Lutherani. Vid Nellum de Bannit. p. 333. num. 5. Et contra Excommunicati sunt verè ac à competenti Judice Papistæ „ *Tit. 3. Jerem. 48. Apocal. 22.* Ac denique Apo„ stoli erant ab Inimica Synagoga excommu-

„ nicati *Joh. 16.* Et tamen erant justissimi A-
„ ctores adversus Synagogam Judaicam &
„ malignum confessum. Non tenet hæc sub-
„ tilitas in foro Divino Ecclesiæ. Uter justius
„ excommunicatus est? Lutherus ne à Papa?
„ An Papa à DEO? *2 Thess. 11. 3.* Abite caniculæ!
„ Non mordetis.

§. 19. Ad Tertium. Hi autem illis sunt, *Qui sententiis discrepantes reformare cupiunt Papam.* Hæc autem sunt ridicula. Nam, ut taceam qvæ in Anti Lessio suo prolixè respondit D. Meisnerus Noster falsum est & mendax, Lutheranos nihil adducere, cur potiùs à Luth. qvàm ab aliis sit reformandus. Nos enim adduximus semper, & adhuc adducimus, si qvidem fidei locus supereſt. 2. Deinde, scelus est, quod cum impuris & blasphemis nos contra conscientiam suam copulant, ut exosos reddant suis mendaciis, qvos vero non possunt superare. 3. Non igitur sumus rerum ignari. 1. qvia sententiis Lutherani non discrepamus. 2. quia Causas è Verbo Dei per certam Fidei scientiam adducimus, cur Papa sit relinqvendus, ac deserendus. *2 Thess. 11, 3.* De qvo D. *Meisn. l. cit. & Hunnius in Apostas. Rom. Eccles.* eruditè satis. 3. qvia nos idem jure meliori in Papistas torquemus. Nam ille

in

in foro Ecclesiæ est Rerum ignarus, qui cum Pharisæis sibi soli tribuit, quod toti cœtui commune dedit Dominus. 2. qui cum Saducæis errat & nescit scripturam proprio vitio. 3. qvi cum Pseudapostolis corrumpit ac depravat. 4. qvi sensu variantissimus est in rebus fidei. Quod D. *Keslerus contr. Bell. ubiqu. Foreri l. 1 Sect. 2. c. 4. 5. Et lib. 2. Sect. 2. c. 1, & 8.* perspicuè demonstravit. Non igitur bona fide hic agunt Fratres. Eant igitur, & discant quid sit in rebus fidei Actor Rerum ignarus.

§. 20. Ad Quartum. *Illegitimi.* Hi sunt illis, *Qvi non sunt à Christo missi ac ablegati.* Recte. Quicunque non est à Christo missus, is non est actor in foro Christi legitimus; Pontificii non sunt à Christo missi. Ergo. Minorem, supra per omnia Motiva probavi. Lutheranos à Christo esse, vel id unum evincet, qvod ipse Christus ait, Hunc esse suum, qui verbum suum audit. *Joh.* 10. At vos ô Dnn. Fratres, dicite, quis Apostolus vester est? Qvæ Ecclesia vestra? Quæ fides vestra? Qvod caput vestrum? Uno verbo, Papa Omnia est. Franciscani, Jesuitæ, Thomistæ, Scotistæ, Dominicani & infiniti plures à qvo missi? Papa à quo in illam hæresin cathedrariam immissus? à Tyranno Phoca. A sese, Vi, clàm, per fraudem.

Et vos tales Actores eritis? Si hodiè Tertullianus reviviſceret, ſcripturus procul dubio eſſet Præſcriptiones adverſus Romanos.

§. 21. Ad Qvintum *Inſtrumenta abolita* Hoc ſic probant, Seſe opponere Exceptionem ſpolii. Hàc probata, Lutheranos repelli. Optimè. Et laudamus ſubtilitatem. Maranta loc. cit. hæc habet. Non falſi ſunt Dnn. Fratres. Sed age, videamus. Objiciunt Libros Biblicos à Nobis eſſe extruſos è Canone. Sed remitto illos 1. ad ſua verba: *Hac exceptione Probata*: Non ſufficit in foro allegare, ſed probare reqviritur. Illi igitur ubi, quando, quibus teſtibus, quâ Autoritate probant hanc accuſationem? Nulla. Nihil igitur reſtat, quam ut abſolvamur, & vincamus. 2. Nobiſcum ſemper ſenſit Eccleſia. *Vide Concil. Laodicen. c. 59. Cyrill. Hieroſol. Catech. 4. Hieronym. Præfat. in libr. Salomon. & in Prolog. Galeato Euſeb. l. 3. Hiſtor. c. 22. Nicol. Lyran. Comment. in Libr. Apocryph.* Et quorſum hoc recoquam? jam diu protrivit iſta vel unus *Hutterus Loc. Comm. de ſcript. ſacr. part. 2. propoſ. 2.* Injuria ergò à Lutheranis repetitur, quod nunquam abſtulerunt. Veniat & videat & legat, qui non vult fidere. Porrò ſpolium contrà verum ac genuinum Lutherani impingunt

guntRomanensibus. 1. Spolium totius Scripturæ Sacræ, qvâ arcent Laicos. 2. Spolium veri sensus & sanæ interpretationis, *Joh. 10. Jerem. 23, 30. Matth. cap. 7.* 3. Spolium libertatis Christianæ. Matth. 23. Gal. 5, 4. Spolium Sacramenti Cœnæ, cui calicem subtraxerunt. 5. Spolium Fidei, cui pro Christo opera affingunt. Hæc ablata Ecclesiæ Catholicæ illi restituant, in qvo crimine adhuc obdurati hærent. Nec tanqvam infames ac intestabiles ad forum admitti prius possunt. Spoliata nam q; Ecclesia ante omnia restituenda est. Possidet autem, qvi spoliatur. At Ecclesiæ spolium illatum est, Ergo Ecclesia possedit. Vide Gail. obs. 11, 77. 129. Quid jam lucrata est Justiniani argutia in foro Christi? In posterum, Fratres, maneamus in circo.

§. 22. Ad Sextum *Mutata Instrumenta.* Accusant nos falsatæ Scripturæ. Quod crimen in legibus civilibus & divinis atrox est. *In Digest. ad L. Corn. de fals. Deuter. 5. & Apocal. 22.* Quare hic Apologiâ opus est. Sed quid illi adferunt tandem? Ajunt, A suis id copiose & solidè demonstratum. Utinam vera dicerent ut corrigere malitiam Lutherani possent, si qua usi fuere. Sed Lutherani satis retudere hanc accusationem. Breviter adde-

addemus: Lutherani non falsarunt Verbum DEI. 1. Quia id unum & solum semper 2. Ita ut Ecclesia Antiqua ubique & semper habuit, conservat hodie. 3. vindicat adversus Pontificios. 4. Exhibet coram toto orbe & Ecclesia Christi. Falsarii vero fugiunt plerumque lucem, & habent domi lucrum, quo adducti peccent. Contra Pontificii falsarii sunt verbi Divini. Quia immutant. 2. occultant, 3. abscondunt veritatem. 4. Dolose, & 5. ex certa scientia. Sic totum Psalterium Davidis Mariæ accommodant, sic textum Ebraicum rejiciunt ac contemnunt, sic versionem Vulgatam supponunt intruduntac commendant, sic omnem ac totam nonnisi ex mente Paparum veram esse affirmant, loca elassica ac manifesta de invocandis Sanctis, de justificatione de Fide, de Sacramentis corrumpunt ac lacerant. Quod quotidiana experientia abunde sola contestabitur. Jam vero Notorium inducit plenam probationem. Nec poterunt illi à nobis ad probationem in contrarium admitti. Hærent enim in notoriis facti permanentis. cep. *cap. Evidentia 2. q. 1. Gail. l. 2. c. 3. de Pac. Publ.*

§. Ad Septimum. *Autoritate destituta.* Sic concludunt: Lutherani non habent originale

le textus Biblici, Ergo non habent instrumentum sufficiens, Ad hoc jam supra respondi *Sect. 1. Mot. 3. §. 63.* Addo: 1. Postulatum, quod contra praxin ac usum Civitatis fori evomitur, nullum est. *Zasius Consil. 12. n. 3. Felin. in c. 2. n. 16. de scriptis.* Hoc est tale. Ergo. Minorem probo: Nam jaminde à seculo Judaico, à prima ætate Christianorum nunquam in dubium vocata fuit Hebræa & Græca Scriptorum Canonicorum authentia, sic ut in Ecclesia πατρὸς παραδότως tanquam fidissima custode instrumentorum DEI fuêre possessa. Rex in Judæa, Christus Luc. 3. Judæi in Ἀγραφοις, Christiani omnium seculorum textu Biblico, quo & nos utimur, Hebræo, Græco contenti ac securè usi sunt. Nec ante hosce Scripturæ hostes quisquam tabulas Codicis Divini istas in dubium vocavit. Quare quod illi ajunt, Contrà impugnantem principia & fundamenta religionis non est disputandum. Deinde, Non omni exemplari denegatur secundum jus Civile s. Humanum fides. Et Major hujus Argumenti pariter cubat in mendo De quo *Rit. 3. Novell. part. 9. 34. Chil. Konig. Proceff. c. 94.* Creditur enim Exemplari, per scriptorem principalis instrumenti autorem confecto, *l. unum ff. de Testament.* Quo omnes utimur in Ecclesia Verbo scripto, ejus

Ecclesia custos, & capsaria & consignatrix fuit perpetuo, De cujus fide qui dubitat, is de fide ejusdem esse non præsumitur. Non igitur valet, quod contrà totius Ecclesiæ consuetudinem asseritur. Contrà: Pontificii legem DEI scriptam, legem planè DEI nullam habere sic convincuntur: 1. Hebræum & Græcum textum non agnoscunt. 2. Vulgatam Latinam rivum esse non diffiteri possunt. 3. Eum sibi faventem, ne ex authentico altero vincantur, præferunt. 4. Accusant Hebræum & Græcum vitii, incerti, ambigui. Jam vero qui tabulas publicas, qvi legem publicam in tabulario perpetuo repositam ipsius Principis in dubium vocat, contemnit, evertit ac conspuit calumniis, is de jure suspectus est, & tanquam criminator ac calumniator legis explo-ditur. *l. 3. Cod. de Constit. Princip. Novell. 2. 4. 5. 6. epilog.* & penè in omnibus. Apertè denique falsi sunt, qui negant Lutheranos Scripturas pro Authentico DEI verbo habere. 2. & instrumenta veritatis spoliare autoritate. Nam hæc cum quotidiana experientia pugnant & mendaciſſimi calami convitia à nullo judice audiuntur nisi probata. Quod autem cum clara Veritate & evidentia facti pugnat, quomodo ad probandum admittetur? Ite leves socij; Non patronus vester Justinianus hic erit.

§. 24.

§. 24. Ad Octavum. *Rejiciunt judicium*, i.e. Papam. Omninò rejiciunt Lutherani hunc judicem, quem Ecclesia nunquam agnovit. 2. *Thess. 2 Apocal. 19. Catalogus Testium veritat. per tot Phil. Mornæus in Tract. Myst. iniquit. per tot.* Nam 1. Judex constitutus esse jure debet, lege, Magistratu, consensu. Pontifex ex scrinio sui pectoris contrà manifestam legem scriptam censet. 3. Judex tueri legem debet ac exequi. Pontifex oppugnat & evertit. 4. Judex vir bonus esse debet: Pontifex iniqvus, injustus, invasor, contemtor DEI hominumque. 5. Judex debet timere DEUM *l. quas §. optamus. c. de Off. præf. Prætor. Afric.* Pontifex impius, sacrilegus, Antichristus est. 6. Judex medius esse debet inter Actorem & reum. *Barthol. in l. Legatum ff. de usufr. legat.* Pontifex alienus, hostis ac inimicus. 7 Pontifex est judex suspectus. Coram eo igitur agi non potest. *c. secundo extr. de appell. & c. in causam 2. de offic. deleg.* 8. Est judex in propria causa. 9. Captat legem & ejus verba *l. 29. 30. ff. de ll.* 10. Debet ferre certam sententiam. Pontifex non potest. 11. Neutri parti jus suum claudere debet *l. argentariis ff. de edendo.* Pontifex non facit. 12. Utrumque ex æqvo audire sine affectu. *l. 9. l. 14. C. de jubic.* His de causis repulimus hunc judicem.

Ita enim lege divina jussi sunt omnes Christiani *Matth. 7. Tit. 3. Joh. 10. Jerem. 23. Ezech. 13.* Et Ecclesia Christiana nunquam eum agnovit talem. *Morn. Casaubon. Gerardus, alii.* Res est diu jam decisa. Quamobrem miseri Pontificii nobiscum posthæc submittant se Deo, qui judicium fert in verbo solum certum. Joh. 12, 48.

§. 25. Ad Nonum. *Deficit judex.* Hoc sic ostendunt: Lutherani non possunt determinare articulos fidei necessarios. Ergo carent judice. Quam elumbe est hoc telum! Nam quis non videt in sufficiens consequentis argumentum? Non enim est judicis 1. determinare semper ac subinde noviter. 2. Scriptura judex noster determinavit semel. 3. quod illi hoc non capiunt, nec credunt, non judicis est sed malitiæ vitium. Deinde conturbatur τὸ κρινόμενον. Lis est de judice in fallibili rerum fidei: Illi obtrudunt judicem determinantem nescio quid. Non est litigantis, ju„ dici leges dare, sed judicis, legem tueri, „ Contra: Quemcunque Magistratus, lex, consensus judicem constituunt, is verè judex est. Verbum in Ecclesia scriptum est talis. Ergo verè & legitimè judex erit. *Joh. 12. Deut. 5. Deut. 19. Esa. 8. Luc. 24. Joh. 10. 2. Pet.*

*cap.*

*cap. 1, 9.* Et Ecclesia semper talem agnovit ac habuit. *vid. superius.*

§. Ad Decimum. *Non possident scripturas.* Multis garriunt nihil Dnn. Fratres, ut subtili vanitate ostendant, Lutheranos non possidere scripturas. Fundamenti loco habent, Ecclesiæ vocem, successionem, Episcopos & talia. De quibus suprà vide. Hic breviter agemus 1. Justè possidet, qui à prætore immissus est. Lutherani sunt à prætore immissi *Joh. 5, 10, 12. 2 Pet. 1, Deut: 5. Apocal. 1. 22, Joh. 15.* Ergò. 2. Cui lex adscribit, is legitimè possidet. Lex adscribit Lutheranis. per l. cit. Ergò. 3. Pontificii non possident scripturas. 1. quia invasere. 2. Corrumpere semper solent. 3. abstulere Catholicæ Ecclesiæ Qui autem vi, clam, furto possidet, præscriptione nulla gaudet. *l. 11. ff. de acquir. possess. c. possessor, in 6. de regul. jur. l. 16. c. de probat. Jerem. 23. Joh. 1,* Deinde, 1. Scriptura data est Catholicæ Ecclesiæ. Romana est particularis, apostatica, hæretica & maligna. 2. Omnibus salvandis. *Matth. 28.* Ergo & Lutheranis. 3. Pugnat cum tota Ecclesiæ praxi, & 4. cum legis expressis verbis ac sensu hæc accusatio Pontificiorum. Ergò, ipso jure calumnia est, vana & falsa. Imo ne auditur quidem

dem in foro Ecclesiæ. *per l. alleg. super.* §. 22. 23. 24. Ac postremo falsissimum est, Lutheranos esse posteriores notoriè. Nam ad Notorium Tria requiruntur 1. instrumentum. Hoc autem pro nobis facit, ut è superioribus clarescit. 2. Res judicata, quæ extat Esa. 8. Thess. 2. Apoc. 19. contra Romam. 3. Evidentia facti. Quæ lucet altissimè in cœtu Papali. In nostro contra. Nam antiquissimum est, quod verissimum. 2. quod cum Antiquorum Apostolorum doctrina consentit. 3. quod omnia nova damnat. Unde nos opponemus & Pontifici & Socino & Mennoni & Arrio & omnibus hæreticis exceptionem omni jure rei judicatæ, idque ex c. 12. v. 48. Johann, Qui autem legem regulamve pro se habet, indubio potior videtur. *Ever. l. 9. Top. jur. n. 2.* Autoritate doctorum alienorum non movemur *ex Bald. in rubric. c. de fid. instrum.* Et sine lege loquenti ruborem incutimus. *Novell. 18. 5.* Doctori enim nulli tenemur credere, nisi probet opinionem suam. *August. in c. ego vobis.* Et eorum dicta non necessitant ad decisionem. *Sneidevvin. præf. instit. §. 6.*

§. 27. Atque hæc sunt illæ Excepriones Justinianeæ Walenburgorum adversus legis Lutheranorum divinæ clarissima verba. Quibus

bus qvantum nunc robur acceſſerit Pontificum infulæ, jam ſentiet Roma & Capitolium. Faciunt autem illi qvod verſus Virgilianus eos docuit,


FLECTERE CUM NEQVEUNT COELOS ACHERONTA MOVEBUNT.

FINIS.

## Errata B. L. ſic corrigat.

Pagina 20. §. 6. Carnale. p. 24. §. 13. Fieri. p. 31. §. 26. Lector. p. 53. §. 56. Concilia. p. 60. §. 67. Ebræos. p. 137. §. 3. Sequantur. p. 142. §. 12. Tintinnabulis. 111. §. 65. ἰδίας. ibid. ἄγραφα. p. 121. §. 79. σκιὰν. 122. §. 82. corroboratam. p. 103. §. 51. fieri. p. 91. §. 34. Apoſtolorum.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730436217/phys_0163
DFG




Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730436217/phys_0165
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730436217/phys_0166
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730436217/phys_0167
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730436217/phys_0168
DFG

quentium animus
sunt, quæ Leo Epist
tiæ satisfactionem n
dine, quàm cordis c
esse. Et Beda Con
tificetis propria vi
ctus dignos poeni
pro singulis vos af
gna expetit poenite
cium justitiæ. Et
7. Depondere æstir
cerdotis est judicar
fessionem pœniten
lacrymas corrigen
mitti, cum viderit
nem, id est, Exom
vocis plura in Præced

§. 9. Quæ
deò corrupti comm
possit vel debeat n
get, qui capit. 4. &
inter se conferre v
doctrina interiori
pulus debet ac lucid
jugiter inculcatam
procul dubio debi
quentur, 2. Dein

. Paria
Pœniten-
longitu-
ctandam
4. Mor-
do fru-
scilicet
tum di-
t sacrifi-
st. 1. cap.
rum Sa-
ad con-
s atque
bere di-
sfactio-
quo usu
sunt.

Vide Ioann Dall. de Pœnis lib. 7. c. 4.

status a-
esse vel
e colli-
igenter
hirum.
bui po-
squam
timor
conse-
nfessio-
num

1.

2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730436217/phys_0169
DFG